SIMONIS STAROVOLSCI COMMENTARIVS IN IV. LIBROS INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS.



CRACOVIÆ,

Typis Francisci Cæsarij. Anno Domini, 1638.



Ascia Sarmatici quæ fundamenta dolauit
Imperii, sacras ornat & illa domos
Ingeniisq; piam donat lucem, atq; Lycæo
Æternum firmas accumulabit opes.

Stan: Cæsari, St. G.

Perillustri & Rendo Domino,

D. ALEXANDRO

De Brzeźie

BRZESKI,

I. V. D. Archidiacono Zauichost. Canonico Cracouień. Scholastico Sandomirień, S. R. Maiest. Secretario,

Domino & Patrono colendissimo.

SIMON STAROVOLSCIVS D. S. Q.



Tsi plerosque beneficia accepta in dedicatorijs recensere solere non nesciam, Perillustris & Reuerende Dñe, nihilominus ego ea, à Te, abundè in me collata, ne

 adula-

adulari videar, non enumerabo: ſed potius muta admiratione affe-ctum erga me tuum, venerari malo. Quòd nimirum exiguis beneficijs aliqua ſubinde gratiarũ actione ſatisfieri poteſt; magna verò, quę torpens alioqui ingenium fauore, & liberalitate excitare ſolent, ſilentio plerumque melius agnoſcuntur quàm verbis. Quamuis igitur omni laudum præconio digni, qui optimas artes defendũt à barbarie, & ſumptibus eas ſuis, ad poſteritatẽ propagant; ego tamen in laudes tuas, qui talia facis & cogitas, parcus vti iam dixi ero: contentus nimirum vnico verbo, Te Probum virum, piumq; Sacerdotem poſteritati indigetaſſe. Vtpote qui tribus

iam

iam Craçouienſibus Epiſcopis, ob induſtriam ingenij, & ſuauem quã-dam morum modeſtiam carus, abſ-que ijſdem Sereniſſimis quoq; Re-gibus noſtris, Diuo videlicet SI-GISMVNDO III. & eius filio VLADISLAO IV. feliciter nunc Imperij Sarmatici habenas moderanti, perquam diligenter commendatus fueris. A quibus pu-blicis negotijs admotus, ea fide, & ſedulitate omnia geſſiſti, vt dignus longè maioribus etiam, ſapientiſſi-mo corũ iudicio arbitrabere. Iam autem, qui omnium ore celebran-tur, & Probitatis laude conſpicui ſunt, non amicos modo aut vici-nos, ſed incognitos quoſque a da-morem propriæ familiaritatis inui-

tant, & ſua luce clari, ad poſteros etiam nomen ſuum tranſmittunt. Et quia plerumque facit hoc ratio, aut fortuna cauſarum, vt in controuerſijs alter æquitate, alter iure nitatur; ideò ad meliorem Iuris & Æquitatis cognitionem, Aſtreę cultoribus nouitijs, quæ in diuerſis autoribus notatu digna inueni, Iuſtiniani Inſtitutionibus breuiter adſcribenda putaui. Cumq; viris magnis, tum hîc, tum alibi placerent, non niſi ſub tuo Probi & Pij Sacerdotis nomine, atque tam Magnæ Diuæ irreprehenſibilis Myſtæ titulo, eorum conſilio publici Iuris eſſe permiſi. Tu, vt ſumptu tenues Muſas meas iuuiſti, ita Probitatis tuæ, & iudicij excellentia, ſupplebis vti
ſpero,

ſpero, quod à me fortè minus eſt præſtitum: & vt hactenus me ſingulari beneuolentia proſecutus es, ſic & in poſterum literis meis fauebis, atque ornare eas perges. Vale & viue gentis Tuæ illuſtriſſimum ſydus, qui autem noſtri literatorum decus.

Imprimatur, ſi videbitur R. P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Torniellus Vicesg.

PErlegi hunc librum, & nihil reperi quod vel bonis moribus, vel religioni aduerſetur; ideò poterit imprimi. In fidem hac die 2. Nouembris. 1633. Romæ, ſubſcripſi.

Angelus Lucianus I. V. D. in Gymnaſio almæ Vrbis Pontificij Iuris Profeſſor primarius, manu propria.

Imprimatur.

Fr. Nicolaus Riccardius Ord. Pręd. Sacri Palatii Apoſt. Mag.

SI-

SIMONIS STAROVOLSCI ACCESSVS AD IVRIS VTRIVSQVE cognitionem.

Diuisus in quatuor breuissimos Tractatus.

QVORVM

Primus, De Iure in communi.
Secundus, De iustitia & iniustitia.
Tertius, De Iure Ciuili.
Quartus, De Iure Canonico.

TRACTATVS PRIMVS De Iure in Genere.

CAPVT I.

De Origine & progressu Iuris.

IVRIS Romani, vt varia fuerunt initia, sic & varij progressus, secundum mutationem temporum, & administrationis Reipublicæ. Et prima sanè Vrbis administratio Regia fuit, legesque plurimæ priscis illi-

poribus accommodæ, à Regibus latæ fuerũt. Creatis verò Consulibus, iuris statuendi potestas in Senatum translata fuit, permissa reis prouocatione ad plebem, quæ sibi Tribunos creauerat, quos Consulibus opponeret. Atque inde *Senatusconsulta*, ac *Plebiscita* profluxere. Quumq; post magnæ sæpè contentiones inter plebem patresq; pro legibus ferendis essent, placuit leges externas habere: atque ex eo *Decemuiri* creati fuerunt, qui allatas leges Græcas, in decem tabulis descriptas, publicè proposuerunt: additis duabus tabulis, quæ Reges Romanorum proprias continebant. Imperio demum ad Cæsares deuoluto, Ius Ciuile *Principum Constitutiònibus ac Rescriptis*, in eam molem excreuerat, vt omnibus legendis, vix ipsa hominis vita sufficeret. Iustinianus itaq; huic difficultati remediũ positurus, anno Imperij sui secundo, totam Iurisprudentiam Romanorum & leges, in certum Compendium redigi iussit; & quidquid sub Regibus aut Consulibus statutum fuit, quod congruens regẽdo Imperio videbatur, id totum in quinquaginta libros *Digestorum* seu *Pandectorum*, inutilibus reiectis, colligi mandauit. Quicquid verò sub Imperatorib. latum erat, hoc vsque ad tempora sua, in vnũ *Codicem*, libris duodecim constantem digessit,

sit, ex vtriusque autem hisce legibus ac libris, *Institutiones*, quæ totius iuris præcepta & præcipua capita continerent, libris quatuor conscribi iussit. Addidit & rationem docendi discendiq; iura, atque in eam rem Professores constituit, duos Constantinopoli, duos Beryti, quatuor Romæ, qui publicè profiterentur. Cùm autem Italia à barbaris oppressa esset, per annos quingentos iuris professio delituit penitùs, nec primum fuit instaurata, nisi sub Lothario Imperatore, ab Irnerio Bononiæ eam publicè profitente. Quicquid verò triginta octo annis Imperij sui legum aut constitutionum Iustinianus fecit, has omnes in vnum volumen redactas, *Nouellas* (quod in dies nouis emergentibus negotijs fuerint latæ) seu *Authenticas* appellauit. Fuerunt etiam à subsequentibus Imperatoribus variæ Constitutiones latæ, quas similiter diuersi Iurisperiti, in epitomen iuris collegerunt, ex quibus maximè *Feudorum*, de conseruandis familijs, leges fluxerunt.

CAPVT II.

De Definitione atque Diuisione Iuris.

IVS in communi sumptum, *est ordinatio quædam dirigens ad bonum.* Dictum autem est, ius

ius à iussu, quasi iussum contineat. Appellaturq́; interdum Lex, interdum Constitutio, Statutum, Sanctio, Præceptum, Iussus, Ordinatio, & id genus alia, per quæ verba idem fere significatur.

Diuiditur autem Ius in *Diuinum & Humanũ.*

DIVINVM *est Diuinæ rationis ad bonum ordinatio.*

HVMANVM *est humanæ rationis ad bonum ordinatio.*

Et *Diuinum* est duplex. Aliud vnicuiq́; rei ab exordio creationis inditum natura. Aliud hominibus tantùm in tempore positum à Deo.

Humanum quoque similiter duplex. Aliud commune omnibus gentibus. Aliud peculiare alicui Ciuitati, aut Populo.

Ius Diuinum naturale, *est Diuinæ rationis ordinatio, rebus omnibus in earum creatione indita, ad vniuersi perfectionem, & conseruationem.* Et est duplex. Aliud hominibus commune cum brutis. Aliud proprium solummodo ipsis hominibus.

Ius Diuinum positiuum, *est ordinatio diuinitus hominibus posita & reuelata dirigens eos ad æternam beatitudinem.* In veteri quidem testamento per Moysem: In nouo autẽ per Christũ.

Ius Humanum commune omnibus gentibus,

bus, *est ordinatio singularum gentium naturali ratione constituta, ad conseruandum genus humanum, & prouidendum necessitatibus humanis.* Vt sunt Contractus ferè omnes, sine quibus humana societas conseruari non potest.

Ius verò Humanum peculiare alicui populo, *est propria alicuius vniuersitatis, vel eius, qui in illa principatum obtineat, ordinatio, ad eiusdem felicitatem atque incolumitatem.*

CAPVT III.



De Iure Naturali,

IVS naturale diuinitus hominibus inditum duplex esse diximus, aliud commune cum brutis, aliud hominibus proprium. Illud Ius naturale *Primæuum* dicitur. Istud Ius naturale *Secundarium.*

PRIMÆVVM *est quod natura omnia animalia docuit*; vel vt apertius dicatur, *est naturalis rerum animatarum instinctus, ad sui ipsius conseruationem, suæque speciei propagationem,* vt cibum & potum capere, motum & quietem appetere, seipsum ab iniuriis, & à cunctis, quæ lædere possint, tueri. Filios procreare & educare.

SECVNDARIVM, vel etiam Gentium Primæuum, *est humanæ rationis dictamen ad virtutes, ad bonum, & felicitatem.* Et hoc teste Cicerone,

rone, vbiq; & apud omnes vnum est, atque idem sempiternum & immutabile, vt Religio erga Deum veluti primam causam. Amor in parentes, & patriam. Obedientia erga maiores, Magistratus & Principes. Amor virtutum & detestatio vitiorum omnium. Fidei inuiolabilis obseruantia. Atque demum tria illa præcepta. *Honestè viuere. Alterum non lædere. Ius suum vnicuiq; tribuere.*

Quia verò duobus modis seruatur vniuersitas cuiuscunque gentis aut populi, *vel cunctis*, qui in ea continentur prospiciendo, *vel singulis*, ex quibus ipsa Vniuersitas conficitur, consulendo; ideo hoc idem Ius Ciuile in duas scinditur partes. In *Publicum & Priuatum*. quod quidem vtrumque, tum solùm modò vim legis habet, cùm à recto, & à naturali ratione non aberrat: quotiescunque enim in aliquo à lege naturali secedit, iam non lex, sed legis est corruptio.

CAPVT IV.

De publico atq; Priuato Iure.

PVBLICVM IVS *est illa ciuitatis ordinatio, quæ ad statum Reipublicæ pertinet, ac præcipuè eiusdem conseruationem respicit, mox verò singulorum commodum.* Republica enim bene sic habente

bente, priuati eius ciues quiete ac beatê viuunt.

Consistit ea potissimum in creandis Magistratibus, in præscribendo eorum officio, in legibus rogandis & abrogandis, in sacris faciendis, in sacerdotibus creandis, in muneribus iniungendis, in quæ aliis plurimis quæ bonum regimen concernunt, introducendis vel immutandis.

PRIVATVM IVS *est ciuilis ordinatio ad singulorum præcipuè vtilitatem pertinens, deinde etiam ad optimum vniuersæ ciuitatis statum.* Si enim ciues singuli incolumitate & felicitate fruantur, ipsam quoque ciuitatem incolumem ac felicem esse consequens erit. Cum nihil aliud sit ciuitas, quám singulorum ciuium collectio.

Vtrumq; autem istud Ius, tam Publicum quàm Priuatum; à iure naturali deducitur, *vel immediate sicut conclusiones ex principijs*, vt si humano iure caueatur fures, sacrilegos, in Republica esse puniendos, hoc deriuatur per modum Conclusionis ex illo naturæ principio. Nocentes homines puniendos esse. Docente enim naturali ratione, fures, sacrilegos, & rebelles, noxios esse; statim necessariò sequitur conclusio, pœnas illis esse infligendas *Vel intercedente aliqua congrua determinatione,*

tione, quæ proportionem habeat aliquorum communium ad certam speciem, vt si humana lege caueatur, prædictos fures, sacrilegos, ac rebelles, pœna capitis esse plectendos; hæc pœna dicitur esse determinatio quædam illius communis principij ad certam supplicij speciem, & vocatur ius positiuum, quasi ex sola lege humana vigorem capiens. Atque sic determinationes eiusmodi factæ, aut in vno loco seruantur, vbi fuerunt determinatæ, pro incolarum opportunitate, & vocantur VERNACVLÆ LEGES, vt est lex illa de filiis emancipatis ab hæreditate intestati patris excludendis: & illa, prohibens donationem inter virum & vxorem, quæ Romę tantum cognitæ fuerunt. aut alibi conditæ, & ad nos importatæ, & vocantur ADVENTITIÆ LEGES, vt sunt Atheniensium sanctiones, aut Lacedęmoniorum consuetudines ad Romanam Vrbem translatæ, & in decem tabulas dispositæ.

CAPVT V.

De Iure scripto & non scripto.

OMnes humanæ leges, à lege naturali, vel immediate sicut conclusiones ex principiis deductæ, vel per determinationes communium ad certam speciem sancitæ; aut initio

tio ex ſolo ciuium arbitratu ſemel, iterum, atque iterum, & diuturnis moribus obſeruatæ, vim legis paulatim habere cęperunt, quæ *Iura non ſcripta, ſeu conſuetudines* appellãtur; aut principis arbitrio totius populi, aut alterius, cuius ea poteſtas fuerit, vnico tantum actu obſeruandæ propoſitæ ſunt, quæ *Iura ſcripta* nuncupantur.

IVS igitur NON SCRIPTVM ſeu CONSVETVDO *eſt, quod tacitus populi conſenſus diuturnis vtentium moribus comprobauit, ad publicum & commune eiuſdem populi bonum.*

IVS verò SCRIPTVM *eſt, ciuilis ad commune bonum ordinatio, quæ ab habente poteſtatem iuris condendi emanans in ſcriptum referri ſolet, vt, facilius populo innoteſcat.* Et huius præcipuè partes ſunt ſex. Lex ſcilicet, Plebiſcitum, Senatus conſultum, Magiſtratuum edicta, Principũ placita, atque demũ Reſponſa Prudentũ.

CAPVT VI.

De ſex Iuris ſcripti partibus.

PRima *Iuris ſcripti pars* vocatur LEX, quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, inſtituebat.

Secunda PLEBISCITVM, quod plebs plebeio Magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituebat.

Tertia SENAIVS CONSVLTVM, quod solus Senatus iubebat, aut constituebat.

Quarta PRÆTORVM EDICTA, id est Ordinationes, quæ à Magistratibus proponebantur sui officij tempore duraturæ: quæ à successoribus in album translatæ, paulatim vim Iuris habere cæperunt, & postea à Saluio Iuliano in vnum collectæ, ab Adriano Imperatore pro legibus confirmatæ.

Quinta PRINCIPVM PLACITA, seu generales Imperatorum constitutiones: vel etiam particularia responsa, super alicuius dubij Iuris interpretatione reddita. Leges enim interpretari, vti rem solo imperio dignam sibi soli reseruarunt, cum ea tempestate ipsis tantum leges condere liberum esset.

Sexta & vltima RESPONSA PRVDENTIVM. antiquitus enim erant Pontificum, & aliorum iuris peritorum receptæ interpretationes. Post Cæsares verò, sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere.

Et ex istis sex iuris partibus, vniuersum constat Romanum ius, quod nos Corpus Ciuile appellamus, à Triboniano Theophilo & Dorotheo viris clarissimis iussu Iustiniani Imperatoris compositum.

CA-

CAPVT VLTIMVM.

De Fine, & Obiecto Iuris.

FINIS ROMANI IVRIS conseruatio totius Romani Imperij in vniuersum.

CAVSA EFFICIENS, tacitus populi consensus, diuturnis moribus comprobatus; vel expressus eiusdem populi, & pro temporum varietate etiam plebis. Senatus, Prætorum, & Principis; eiusq; authoritate etiam Iureconsultorum, de iure respondendi facultatem habentium.

SVBIECTVM verò circa quod versatur, sunt *hominum facta*; Romanum enim ius circa hominum sibi subiectorum facta, disponit ad bonum & æquum Magistratus authoritate conseruandum. Hominum autem actiones, & facta duo potissimum respiciunt: *vel rerum dominia, vel personarum obligationes*. Primum igitur in acquirendo, aut in conseruando, aut in minuendo consistit. Vel enim hoc agitur quemadmodum quid cuiusq; fiat, vel quemadmodũ rem suam, aut ius suum conseruet: vel quomodo alienet, seu amittat. Secundum verò personas respicit, quæ obligari, & quibus obligari debent.

Et quia in vtroq; aliquo est opus remedio,

quo quis rem ſuam vendicet, vel quod ſibi ab aliquo debetur, ſuperioris authoritate cõſequatur, & hæc remedia *Actiones* appellantur, quæ nihil aliud ſunt, quàm *Ius rem ſuam vindicandi*, vel *quod ſibi debetur in iudicio perſequendi*; propterea primo Caius, deinde Iuſtinianus dixerunt: *Omne ius quo vtimur, vel ad perſonas pertinere, vel ad res, vel ad actiones.*

FORMA denique Iuris, quam Modeſtinus etiam virtutem appellat, eſt *imperare*, *vetare*, *permittere*, *punire*: quia quandocumque iura diſponunt, neceſſario vnum ex his efficiunt.

Qui igitur Iuris cognitionem quæritant, ac boni & æqui notitiam profitentur, ęquum ab iniquo ſeparantes, & licitum ab illicito diſcernentes, *Iuriſprudentes* appellantur, qui veram non ſimulatam Philoſophiam affectare dicuntur. Sicut ipſa tum diuini, tum humani iuris notitia *Iuriſprudentia* dicitur, cùm humanarum & diuinarum rerum cognitionem contineat.

Et hæc de Iure tam diuino quàm humano: tum communi, tum particulari: publico vel priuato: ſine ſcriptis, vel in ſcriptis, & de origine eius breuiter hoc tractatu dixiſſe ſufficiat.

TRACTATVS II.
De Iuſtitia & Iniuſtitia.
CAPVT I.
De Definitione Iuſtitiæ & Iniuſtitiæ.

QVI ſecundùm prædictas naturæ, Dei, & hominum ordinationes viuunt, vti legibus & iuri obtemperantes, iuſta facere, & iuſta velle dicuntur.

IVSTVM enim eſt, *quod ſecundum iura geſtũ eſt*, & ij qui volentes ac libentes iuſta gerunt, IVSTI meritò appellantur: habitus verò, qui fit ex frequentatis actibus obtemperãdi Iuri, dicitur Iuſtitia. E contra INIVSTVM eſt, *quod contra leges & iura geſtum eſt*, & hi tanquam iniuſta gerentes INIVSTI appellantur: habitus verò, qui fit ex frequentatis actibus à iure auertendi & iniuſta gerendi Iniuſtitia dicitur. Et ex his patet, quod IVSTITIA *eſt habitus, quo homines apti ſunt ad res iuſtas agendas, & quo iuſta agunt, & volunt iuſta.* INIVSTITIA verò *eſt habitus, quo homines iniuſtas res agunt, reſq; volunt iniuſtas.* Nam qui prædictis legibus & Iuris non obediunt, ſed ab ijs exorbitant, iniuſta facere, & iniuſta velle dicuntur.

Ex his etiam innoteſcit *Iuſtitiam à iure, non Ius à iuſtitia deriuari*, & circa ius vti eius

obiectum versari; illudq; vti normam, regulam, & præceptum præsupponere, quod doceat & instruat, quid agendum, quidue omittendum sit, vt in hominibus prædictæ regulæ frequenter obtemperantibus, huius virtutis habitus produci posit. Ex quo necessariò sequitur, *Iustitiam iure ipso posteriorem esse*, sicut iniustitia etiam est iniuria posterior. Iustum enim vel iniustum non esset, nec homines iusti, vel iniusti dici possent; nec iustitiæ, vel iniustitię habitus reperiretur, si ius aliquod non præcessisset, quia nihil esset, cui parere vel non parere quis posset, iuxta illud D. Pauli, *Si non fuisset lex, non fuisset peccatum.*

CAPVT II.

De diuisione Iustitiæ.

QVIA teste Aristotele & D. Thoma, ius tam Diuinum, quàm humanum, & tam naturale, quam positiuum, iubet viuere secundum rationẽ cuiuscunq; virtutis, & vetat viuere malo cuiuscunque vitij: & non solum præcipit, vt vnicuiq; reddatur Ius suũ, quod est proprium iustitiæ, sed etiam præcipit ea gerere, quæ pertinent ad alias virtutes, puta ad virum fortem, vt non deserere locum in

acie,

acie, non fugere, non abijcere arma; item ea, quæ sunt temperantis, vt non committere adulterium, non libidinari; & etiam quæ sunt mansueti, vt non ferire alium, non dicere conuitia; & in cæteris itidem virtutibus, atque vitijs; alia iubet, alia vetat ad bonum cõmune respiciens, ad quod lex omnis principaliter ordinatur. Ideo qui iuri & legi obtemperat, duobus modis iustus dici potest: & è contra, qui ei aduersatur, duobus itidem modis iniustus. Ac proinde etiam habitus, qui fit ex frequentatis actibus parendi vel non parendi legibus; & sic iustitia, vel iniustitia duplex efficitur, prout resultat ex actibus vno vel altero respectu habitis. Nam qui priori respectu reddit vnicuiq; ius suum, ob illius vti singularis personæ vtilitatem, iustus erit iustitia particulari, quæ est propria & à cæteris distincta virtus. Qui verò legibus obtemperat posteriori respectu, quia puta ius suum cuique reddat, vel alias quascunque virtutes exerceat, non singulorum intuitu, sed ob commune bonum, iustus erit iustitia generali. Et ex hoc respectu resultat prima iustitiæ diuisio, nempe vt alia sit *Generalis*, & alia *Particularis*.

CAPVT III.

De Generali Iustitia.

GENERALIS IVSTITIA *est habitus omnium virtutum ex legum præscripto ad commune bonum.* Dicta autem Generalis, non quia sit veluti genus ad reliquas virtutes, sed quia est collectio quædam virtutum omnium, vt dicebat Hesiodus:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Dicitur quoque & *Legalis*, quia etiam ad legem pertinet ordinare in bonũ commune, de omnibus quibuscumq; disponere, omnia vitia cohibere, omnium virtutum actus præcipere. Cum itaque eadem, quæ generalis iustitia exequitur, lex ipsa præcipiat, meritò etiam legalis appellata est, quia quicquid à lege præcipitur, legale dici potest. Per eam enim homo concordat legi ordinanti actus omnium virtutum in bonum commune, vt explicat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 58 *art.* 5. *in corpore ad finem.* E contra verò vitium huic virtuti contrarium.

GENERALIS INIVSTITIA dici potest; *tota vitij latitudo, seu collectio omnium vitiorum.* Et quia per eam quis legibus aduersatur. *Legalis iniustitia* eadem meritò appellari valet.

Proprium Generalis, vel Legalis iustitiæ est,

est, ordinare & dirigere actus aliarum virtutum ad suum finem, videlicet ad bonum commune, vt charitas ordinat actus omnium virtutum ad bonum diuinum. Ex quo patet, quod *Generalis iustitia non est eadem cum alijs virtutibus.* quia sicut sol tanquam causa vniuersalis alterat & immutat corpora, quæ ab ipso illuminãtur, ita hæc generalis seu legalis iustitia, vt causa quædam vniuersalis, alterat & immutat finem aliarum virtutum, vt non intuitu boni particularis, sed boni communis quisque agat. Efficit enim vt temperans à libidine abstineat, non eo respectu ne incontinentem se præbeat, vel alium offendat: sed ne commune bonum totius ciuitatis, cuius ille, vel alius pars esse dicitur, in aliquo perturbetur. Et in hoc potissimum differt, & per essentiam ab omni virtute, licet ipsa à Philosopho dicatur tota virtus. Quia sicut causa superior influens in inferiorem, & cum ea operans, non est eadem cum ipsa inferiori, vt sol non est idem cum igne, & charitas, quæ respicit bonum diuinum vt proprium obiectum, & ordinat actus omnium virtutum ad Deum, non est eadem cum illis, sed quædam specialis virtus secundum suam essentiam: ita iustitia hæc generalis vim quandam infundens in alias virtutes, & cum eis operans ad

bonum commune, non dicitur cum illis eadem, sed specialis est virtus, vt eleganter demonstrat D. Thomas, & cæteri post eum.

Ex eo autem dicitur tota virtus secundum Aristotelem, & eadem cum omni virtute, quia vna quæque virtutum considerata, vt à iustitia generali vel legali imperatur, potest denominationem suscipere, vt generalis & legalis dicatur: quemadmodum omnis virtus secundum rationem, qua à charitate imperatur, teste Dominico Soto, charitas quodammodo dici potest.

Et quia *Generalis iustitia in Principe & Legislatore architectonicè residet*, & ab eis potissimum interdicitur, qui omnia ad commune bonum, ex quo vniuersi populi felicitas contingit, disponere debent, non à subditis, quibus sufficit, si legibus obtemperent; nec refert qua intentione, an ob singulorum commodum, an ob commune bonum, cum illud vtroq; casu nihilominus sequatur, & ad amussim eadem Principis, & Legislatoris intentio impleatur. Propterea *Generalis iustitia non est Iuris consulti obiectum*, nec de ea à Iurispericis agitur, nec illa ab Vlp. definitur, cum eorum munus sit subsidios tantùm instruere in legum obseruantia, nec curatur qua intentione id agant, vt iam dictum est.

CA-

CAPVT IV.

De Iustitia particulari.

PArticularis iustitia inde dicitur, quia pars est præcedentis generalis iustitiæ: Illa enim vt diximus, versatur circa omnes virtutes, quatenus à lege præcipiuntur, & sic in commune bonum. Hæc verò circa vnam tantùm ex eis, quæ in qualitate consistit, & in distribuendo vnicuique quod suum est.

IVSTITIA igitur PARTICVLARIS secundum Aristotelem, *est habitus electiuus reddendi vnicuiq; ius suum, vt singulari personæ, ob solam honestatem.* Vel secundum D. Thomam, *est habitus secundum quem aliquis constanti, & perpetua voluntate ius suum vnicuiq; tribuit.* Vel clarius secundùm Vlpianum & Iustinianum, *Iustitia est constans & perpetua voluntas ius suum vnicuiq; tribuens.*

E contra INIVSTITIA PARTICVLARIS *est habitus electiuus non redendi alteri, præsertim vt singulari personæ ius suum, & appetendi plus emolumenti, & minus damni, quam sibi debeatur, nullo simili habito respectu ad legis aliter præcipientis transgressionem.* Proprium itaque Particularis Iustitiæ est, vt vnicuique quod suum est reddat, vel distribuat, nullo habito re-

respectu

ſpectu ad legem id iubentem, nec ad commune bonum per ſe, ſed ad ipſam æqualitatem, & quia id efficere honeſtum eſt, & ſic ad ſingulorum vtilitatem. Hæc enim iuſtitia rectas efficit externas hominum actiones, & res, quæ in vſum hominum veniunt, quatenus vnus homo ordinatur ad alterum.

Proprium verò particularis iniuſtitiæ eſt, vt reddat plus vel minus alicui, quam ei debeatur, non vt legi aduerſetur, ſed quia illius pluris vel minoris ſit appetitor. Per hanc enim deformantur externæ hominum actiones, & res, quæ in vſum hominum veniunt, quatenus vnus homo ordinatur ad alterum.

Ex his colliguntur *differentiæ inter Generalem & Particularem iuſtitiam,* quia illa verſatur circa omnes virtutes, ac proinde rectas efficit etiam eas, quæ ſunt ad ſeipſum, & ſic inter nos animi affectus, vt ſupra diximus. Hæc autem verſatur tantum circa ea, quæ ſpecialiter pertinent ad commutatione vitæ, & ſic dirigit tantùm actiones externas. Illa reſpicit obtemperantiam legis, ac proinde commune bonum. Hæc verò ipſam datorum & acceptorum æqualitatem, ac proinde ſingulorum commodum. Illa eſt aggregatio quædam omnium virtutum, eas dirigens ad commune bonum, vt diximus. Hæc verò eſt

vna

vna ex illis virtutibus, quæ licet sui natura dirigatur ad bonum priuatum, imperata tamen ab illa dirigitur ad bonum commune, & fit generalis. Et hinc patet *necessitas particularis iustitiæ*, quia cum illa generalis iustitia, non sit essentialiter omnis virtus, nec illa sola sufficiat; quoniam nec omnia præcipit, nec omnia vetat, sed de omnibus aliqua, eaque potissimum quæ ad pacem & concordiam ciuium facere solent & sic quæ respiciunt commune bonum: ideo oportuit, præter eam, quæ ordinat hominem immediatè ad commune bonum, esse alias virtutes, quæ absque legum præscripto efficerent, vt homines cum hominibus priuatam vitam degentes, virtutum opera ederent, à vitijs, & iniurijs abstinentes. Et quia hæc ordinatio fieri potuit vel ad se ipsum, vel ad alteram singularem personam: ideo sicut præter iustitiam legalem oportuit esse aliquas virtutes particulares, quæ ordinarent homines in se ipso, puta temperantiam, fortitudinem, mansuetudinem: ita etiam præter iustitiam legalem, oportuit esse particularem quandam iustitiam, quę ordinaret hominem circa ea, quæ sunt ad alterum, præsertim priuatam personam, vt est iustitia hæc particularis.

CA:

CAPVT V.

De Diuisione particularis Iustitiæ.

QVia singularis persona, cui per habitum particularis iustitiæ ius suum redditur, duobus modis refertur ad alterum, nempe vel vt pars ad partem, & sic vna singularis persona ad aliam, vel vt pars ad totum, & sic priuatus quilibet ad suam communitatem. Et hoc casu, vt sciatur quam quisque in ea partem habeat: aliquando habetur ratio ad rem, vel operam, quam in eadem communitate posuit, non ad personarum conditionem, vel qualitatem: aliquando habetur respectus ad qualitatem: personarum, nulla rerum æstimatione habita: aliquando vtrumque respicitur, & res, vel opera in communitate posita, & personarum qualitas perpenditur. Propterea ex respectu, qui adhibetur, & modo qui seruatur in reddendo vnicuique suum, & sic ex accidenti *iustitia particularis duplex efficitur.* Altera, in qua habetur ratio rei ad rem, non ad personam, siue reddatur ius inter priuatos ad inuicem, vt inter partem & partem, siue inter priuatos & communitatem ipsam, vt inter partem & totum, ex quadam inter eos inuicem facta rerum commutatione, & hæc *Commutatiua* dicitur.

Altera,

Altera, in qua habetur ratio rei ad personam non ad rem: vel si ad rem, simul etiam & ad personam, dum quę sunt communitatis inter singulos de ea distribuuntur, iuxta singulorum merita, & hæc appellatur *Distrubitiua.*

Et licet hæc etiam distributiua iustitia, si eius naturam subtilius perpendamus, videatur esse simpliciter æqualitas datorum & acceptorum, & semper supponat in ijs, quibus fit distributio, merita erga Rempublicam si non præsentia, certè præterita, vel futura: præterita, vt quando nobilibus plura tribuuntur, quia habetur ratio ad merita maiorum: futura, vt quando Respublica ciuibus suis, viribus, opibus, vel virtute insignibus, à quibus plura se consecuturam confidit, plura confert, quasi sub spe futuri seruitij, anticipata stipendia. Quia alias cessantibus omnino meritis, cessaret debitum; & quod daretur, non ex iustitia, sed ex mera liberalitate manaret. Tamen particularem iustitiam partiendo, ideo diximus in distributiua haberi respectum rei ad personam, non rei ad rem, quia in ea non attenduntur merita solum præsentia, pro quibus fit distributio, sed præterita etiam vel futura, & multoties aliena, quæ non considerantur amplius, vt res, nec vt de genere meritorum, sed vt qualitas

iam

iam personæ adhærens, quæ eius conditionem digniorem efficit; & satis perpensa dicuntur, dum iuxta personarum qualitatem fit distributio, quod nihil est aliud, quam earundem personarum merita perpendere. Et hoc pacto verissima est *distinctio Particularis Iustitiæ* in COMMVTATIVAM & DISTRIBVTIVAM, de quibus sigillatim agendum est.

CAPVT VI.

De Commutatiua Iustitia.

COmmutatiua Iustitia, vt vox ipsa demonstrat inde dicta est, quasi commutationem quandam contineat, ita, vt ad eiusdem commutationis perfectionem, hæc commutatiua iustitia requiratur. Nam vt diximus, hæc reddit singulis, quæ cuique debeãtur ex quadam inter eos facta commutatione, vt contingit in emptione, & venditione, in qua res cum precio commutatur. Et ideo ad eiusdem commutationis perfectionem re ipsa tradita, desideratur conuenti precij solutio; & soluto precio requiritur eiusdem rei venditæ traditio. Et quia in commutationibus, vt patet exemplo proximè relato, redditur aliquid alicui singulari personę, propter rem eius quæ accepta est, vt alius tantumdem accipiat, nulla habita ratione personarum conditio-

conditionis, cum nihil referat, an probus prauo, an prauus probo detraxerit; sed habito tantum respectu ad rem ipsam, vt fiat adęquatio rei ad rem, videlicet, vt quanto iste plus habet, quam suum sit, de eo, quod est alterius, tantundem restituat ei, cuius est; ideo in hac commutatiua iustitia non accipitur medium secundum proportionẽ rerum ad personas, vt in distributiua, sed secundum æqualitatem rei ad rem. Et sic *medium commutatiuæ iustitiæ in Arithmetica æqualitate consistit*, quæ attenditur secundum partem quantitatis excessus: sicut quinq; est medium inter sex, & quatuor, quia vnitas excedit, & exceditur. Si ergo à principio vterq; habebat quinque, & alter eorum accepit vnum de eo, quod erat alterius; ille qui accepit, habebit sex, alteri verò relinquentur quatuor: erit itaque iustitia si vterque reducatur ad medium, vt accipiatur vnum ab eo, qui habet sex, & detur ei qui habet quatuor, sic enim vterque eorum habebit quinq; quod est medium. Et hoc est verum tam in commutationibus voluntarijs, quæ scilicet ex libera hominum voluntate fiunt, cuiusmodi sunt vẽditiones, locationes, donationes; mutui, commodati, depositi, & pignoris dationes, & similes: Quam in commutationibus inuoluntarijs, quæ altero

inuito fiunt: tum occultis, tum in furto, dum quis rem alterius clàm ſubripit: tum manifeſtis, vt in rapina, dum per violentiam quis rapit. In omnibus enim hiſce caſibus, & alijs, qui ſub commutatione conſiderari poſſunt, locum habet commutatiua iuſtitia, vt quanto quis plus habet quàm ſuum ſit, de eo quod eſt alterius, tantundem reſtituat ei, cuius eſt: & ſic ex vnius lucro, damnum exinde contingens, alteri reſarciatur. Eſt itaque COMMVTATIVA IVSTITIA *habitus electiuus, vel conſtans & perpetua voluntas vnicuique tribuendi quod ei ex ſuo dato, vel facto eius, habita ratione debetur.*

CAPVT VII.

Inter quos locum habeat commutatiua Iuſtitia.

LIcet commutatiua iuſtitia frequentius verſetur inter priuatos ad inuicem, & ſic inter partes Reipublicę cadit, tamen aliquando etiam inter Rempublicam & priuatos ciues, quotieſcumq; inter eoſdem conſiderari poteſt aliqua commutatio, vt puta ſi priuatus aliquis communitati ſuæ, vel pecuniam mutuo dederit, vel rem aliquam vendiderit, vel pro mercede operas ſuas locauerit, vel quid ſimile fecerit: in his enim Princeps & Reſpublica fungitur vice priuati, & ex hac commuta-

commutatiua iustitia tenetur mutuanti tantundem restituere, vendenti pretium, & locanti operas suas, mercedem soluere, & alia facere, vt cæteri priuati homines. Imò quod magis est, hæc eadem commutatiua iustitia, seruatur aliquando inter priuatos, & ipsam Rempub. etiam dum cõsideratur vt Respub. est: quod contingit, cùm aliquis magnum aliquod & egregium facinus pro Repub. gesserit, & de ea adeò benè meritus sit, vt eidem premium pro remuneratione statui honestũ videatur. Hæc enim remuneratio, quæ à Republica fit, etiam erga sibi subiectos ob egregiam nauatam operam, & ita de se benè meritos, ex hac commutatiua iustitia prouenit; & hæc seruanda est, quatenus perpendendæ sunt res gestæ in gratiam Reipub. vt æqualis, & ex proportione eisdem operibus statuatur remuneratio, In hoc enim, vt de se patet, habetur ratio rei ad rem, id est, operis pro Republica patrati ad præmium statuendum, licet vt dicemus inferiùs, quatenus hoc eodem casu debet etiam haberi respectus ad personam benè merentis; distributiua quoque iustitia seruanda sit, & sic mixtura quædam vtriusque tum commutatiuæ, tum distributiuæ iustitiæ.

Dico vlterius, hanc commutatiuam iusti-

tiam locum habere, vt ſupra indicaui, etiam quando in tribuendo vnicuiq; ius ſuum, habenda eſt ratio partis vt totum, vt ſi agatur de diuiſione lucri, vel damni alicuius ſocietatis inter plures, pro inæqualibus partibus initæ ſuper aliqua negotiatione: vt quia tota ſors vnius, ſortem alterius excedat, puta in duplo: & rurſus, ſi plures ſunt ſocij, ſors tertij in aliquo ſimiliter excedat ſortem aliorum, quia puta vnus quatuor, alius duos, tertius verò vnum tantùm in ſocietate poſuerit. Nam lucrum & damnum, ex eadem ſocietate contingens inter eos erit diuidendum, ex hac eadem commutatiua iuſtitia, cum habeatur reſpectus rei ad rem, non ad perſonam.

Quia tamen hæc diuiſio inter eos fieri debet, iuxta proportionem ſortis capitalis: vt quantò quis maiorem poſuit, tanto maius lucrum & damnum conſequatur. Ideo in hoc caſu, & in hac diſtributione, commutatiua iuſtitia habet effigiem diſtributiuæ, cum non æqualiter fiat, ſed ſecundum proportionem, & habeatur reſpectus ad maiorem vel minorem ſortem, quam quis habet in eadem ſocietate & communione, quod dicemus ſeruari & eſſe proprium diſtributiuæ iuſtitiæ. Cùm tamen veriſſimum ſit, hanc diſtributionem inter ſocios diſparis ſortis capitalis eſſe

propriam

propriam, & meram commutatiuam iustitiam, non autem distributiuam. Nulla enim hic habetur ratio rei ad personam, sed tantùm rei ad rem, scilicet ad maius vel minus: quare vt inter socios vera seruetur æqualitas, ipsa commutatiua iustitia expostulat, vt inter eos inæqualis fiat distributio; sic enim fiet, vt iuxta sortem capitalem à se positam, commodum, vel incommodum sentiat. Idem omnino dicendum puto, si plures alicuius negotiationis societatem contraxerint, æqualiter vel inæqualiter ab ijs capitali posito, eorum tamen magis vnus quam alius in ea negociatione versatus sit, & maius illi emolumentum attulerit, quia in diuisione lucri, vel damni, licet vltra sortem capitalem debeat haberi respectus ad sociorum personam, vt magis industrius, & magis in negociatione versatus plus lucri & plus damni sentiat, & videatur haberi ratio rei ad personam, vt in distributiua iustitia. Tamen hæc eadem commutatiua attendi debet, quia maior vel minor opera, vel industria sociorum pro re consideratur, & pro sorte capitali reputatur. Et propterea dum operæ, vel industriæ eorum habetur ratio, parum refert, an qui plus operatus est, sit probus, vel improbus, nobilis aut vilis, diues vel pauper, qui respectus habentur in

distributiua iustitia: sed sufficit, si, qualiscũque sit, societati sua opera, vel industria plus compendij, & vtilitatis contulerit.

Quod puto verum, non solùm quando ab initio contractæ societatis; opera vel industria vnius ex socijs æstimata fuerit, quo casu certissimum est, vel augere, vel constituere capitalem sortem: sed etiam si fuerit simpliciter inita, nec conuentum quanti alterius opera æstimari debeat. Quia adhuc pro capitali sorte, vel eius incremento reputabitur iuxta boni viri arbitrium, cum licet æstimata non sit, sit tamen æstimabilis.

Et idem confirmatur, quia si eodem casu diuisio fieret ex distributiua iustitia; ille, qui pro societate in lucri gratiam plus operatus est, maius lucrum, & minus damnum consequi deberet, si aliquo puta fortuito casu negotiatio ipsa iacturam fecisset: quia *hoc est proprium distributiuæ iustitiæ*, vt qui de Republica melius meritus est; plus commodi, & honoris, & minus incommodi, & oneris consequatur. Cùm tamen societate simpliciter inita, vt supra, certi iuris sit, lucrum, & damnum inuicem ex proportione respondere, vt quis tantum damni sentiat, quantum lucri sensisset, si negociatio superlucrata esset. Nisi alter expresse sit actum, quo casu lucri & da-

& damni diuersitas ex conuentione magis, quàm ex societate prodiret.

CAPVT VIII.

De Distributiua Iustitia.

DIstributiua Iustitia, vt facile patet ex ipsius vocis sono, inde dicta est, quia distribuit inter partes quæ sunt communitatis, vt totius. Sed quia totum non influit, nec distribuit vim suam partibus æqualiter, nec æqualiter ab illis idem exigit, sed vtrumq; facit ex proportione magis vni, quàm alteri, & magis ab vna quàm ab altera, secundum quod vna vel altera pars habet in eo toto maiorem sortem, vt patet in humano corpore, quod maiorem vim brachio communicat, quàm auri, & plus à brachio exit, quàm ab aure, quia brachium maiorem, auris minorem in corpore humano partem obtinet. Ideo hæc distributiua Iustitia, non singulis de vniuersitate idem æqualiter distribuit, nec idem ab ijsdem exigit æqualiter in casu indigentiæ, & quo opus sibi visum fuerit: sed vni plus, quàm alteri confert: & ab altero plus, ab altero minus capit, iuxta vniuscuiusque conditionem, & secundum quod quisq; in ea communitate maiorem, vel minorem

dignitatem & precipuum ius habet. Quia tamen dignitatem & prærogatiuam non eandem omnes inquiunt esse, sed Optimates in communitate Aristocratica virtutem, pauci potentes in Oligarchia opulentiam, populares verò in Democratia libertatem. Ideo in Aristocratia plus virtute præditis, in Oligarchia plus diuitibus & Nobilibus, in Democratia plus popularibus tribuitur, quàm cæteris. Et ideo in distributiua iustitia non accipitur medium secundum æqualitatem rei ad rem, sed secundum proportionem rerum ad personas; vt sicut vna persona in aliqua communitate excedit aliam, ita etiam res eiusdem communitatis inter singulos diuidenda, quæ datur vni personę, debet excedere eam quę datur alij, vt propterea dixerit Aristoteles *medium distributiuæ Iustitiæ secundum Geometricam proportionem consistere*, in qua attenditur æquale, non secundum quantitatem, sed secundum proportionem, vt si dicamus, sicut se habent sex ad quatuor, ita se habent tria ad duo, quia vtrobiq; est sesquialtera proportio, in qua maior quantitas minorem excedit dimidia illius. Hæc eadem proportio obseruatur in hac distributiua iustitia, vt non singulis idem secundum quantitatem distribuatur, sed secundum propor-

porportionem, & secundum maiorem vel minorem in communitate dignitatem & partem. Ita, vt si duo, alter ignarus, alter virtute præditus, sint ciues in aliqua Republica, vbi virtus magnifiat, non erit quod redundat, eodem modo & quantitate inter eos distribuendum, sed tanto plus vni, quàm alteri dandum erit; quanto ille virtute, & alijs conditionibus alterum excellit. Ita tamen vt ęqualis proportio in distribuendis etiam oneribus, quam in distribuendis præmijs adhibeatur; semperq́; ab eo plus exigatur, qui ea re magis abundat, qua Respublica opus habet, imponendo puta eruditioribus maiorẽ curam regendi Rempublicam & eius Magistratus, ditioribus grauiorem collectam, vilioribus verò longiores & frequentiores excubias, & alia huius generis. Ex his igitur IVSTITIA DISTRIBVTIVA *est habitus electiuus, seu constans & perpetua voluntas distribuendi singulis commoda & incommoda ciuitatis iuxta vniuscuiusq; in ea conditionem.*

CAPVT VLTIMVM

De Iustitia mixta ex Commutatiua & Distributiua.

QVia verò prædictus casus est satis frequẽs, qui versatur circa compensandos bene

 meritos

meritos de Republica, & de nobis metipsis; propterea necesse est declarare, quæ ratio in hac re adhibenda, & seruanda sit. Quoniam si duos vel plures viriliter pro patria pugnauerint, & vnus aduersi Ducis, alius priuati militis spolia reportauerit; hi, licet paris conditionis, non æquè remunerandi sunt, sed eò magis ille, quò Ducis conditio priuati militis conditionem magis excedit. Vel si duo æqualiter hostium mœnia primi ascenderint, quorum alter sit Dux, alter verò priuatus miles, remuneratio eo maior illi statuenda est, quo ducis conditio est priuati militis conditione præclarior. Idem omnino dicendum est de priuato quolibet homine amicos suos de se benemeritos remunerari volente, quia gratitudinis ratio expostulat, vt perpensis beneficijs acceptis, ex proportione singulis mercedem tribuat. Id tamen descendit ex principijs Commutatiuæ Iustitiæ, cum habetur ratio rei ad rem, dum beneficium remunerandum perpenditur. Quia tamen non eodē modo præmio beneficia rependuntur, sed vel magis vel minus pro eorum magnitudine, vt dictum est; propterea dicitur hoc casu hanc commutatiuam iustitiam habere effigiem distributiuæ.

Cùm igitur in hac præmiorum constitu-

tione

tione habeatur ratio rei ad rem, & rei ad personam benemerentis, quod diximus esse medium distributiuæ iustitiæ, propterea ex vtraq; iustitia mixtim compensatio dicitur emanere, difficillimaq́ue ab Aristotele reputatur iusta beneficiorum æstimatio & compensatio, quia & beneficia æstimanda sunt, & beneficentium qualitates perpendendæ, quo casu quisque suipsius meritum & conditionem pluris facit, quàm alterius.

Et facta prædictorum iunctione, potest aliquando contingere, vt persona vilis maius conferat beneficium, quam dignior, vt si priuatus miles aduersi Ducis spolia, Dux verò priuati militis pugnando reportauerint, & in hoc consistit viri prudentis arbitrium, in statuendo cuiq; præmia & beneficio, & conditioni personæ conuenienter absq́ue subditorum quærimonijs. Et hæc de Iustitiæ & Iniustitiæ cognitione.



TRACTATVS III.

De Iure Ciuili.

CAPVT I.

De subiecto & forma Iuris Ciuilis.

DIximvs tractatu primo, Ius positiuum esse variabile & imperfectum, sicut illud naturale, quod est commune omni nationi, immutabile, plenum & perfectum; proinde ad omnem perfectionem & felicitatem hominem ducere Legislatores volentes, pro summa illa, quam à Deo acceperunt, sapientia, duplices leges composuerunt, alias quæ hominem dirigerent ad Deum, alias quæ ad proximi dilectionem; eamq; ob causam *ius positiuum subdiuiserunt in Canonicum & Ciuile.* Nã sicut ex duobus componitur homo, scilicet materia & forma: sic duæ sunt dignitates in Ecclesia militante, scilicet *Pontificalis authoritas,* ad dirigendum hominem in rebus Diuinis; & *Imperialis potestas,* ad formandum hominem in rebus humanis & ciuilibus: Et sic Papa conditor est Canonum, & Imperator Legum. Vnde facile patet causa efficiens vtriusq; iuris.

Svbiectvm verò Ivris Civilis *est*

homo

homo politicus, constitutionibus legalibus dirigibilis, simpliciter in bonum humanum, ad Reipublicæ vtilitatem conseruandam. Vnde statim patet manifestè *causa Finalis*, *conseruatio videlicet Reipublicæ in vniuersum.* Nam finis iuris est, bonos & scientes efficere, non metu solum pœnarum, verùm etiam exhortatione præmiorum.

CAVSA autem FORMALIS duplex est, scilicet *forma tractandi*, quæ est modus agendi, vt definitiuus, diuisiuus, præceptiuus, prohibitiuus, & exemplorum positiuus. Et *forma tractatus*, quæ consistit in diuisione librorum totalium in partiales: & partialium in titulos, seu rubricas: & titulorum in capitula, leges, paragraphos vel responsa, & cætera, vt infra dicetur.

CAPVT II.

De Diuisione Iuris Ciuilis.

VNiuersum Ius Ciuile, seu Imperatorium, quatuor, voluminibus continetur, quæ dicuntur libri legales, vt sunt, *Digestum*, *Codex*, *Instituta*, *&* *Authenticum*, quibus additur liber *Feudorum.* DIGESTVM continet in se quinquaginta libros partiales, in tria volumina diuisos, qui omnes continent in se Titulos quadri-

quadrigentos triginta quatuor. Hoc est *Digesti Veteris.*

Primum Volumen seu liber habet Titulos	22.	Tredecimus	7.
Secundus	15.	Decimus quartus	6.
Tertius	6.	Decimus quintus	4.
Quartus	9.	Decimus sextus	3.
Quintus	6.	Decimus septimus	2.
Sextus	3.	Decimus octauus	7.
Septimus	9.	Decimus nonus	5.
Octauus	6.	Vigesimus	6.
Nonus	4.	Vigesimus primus	3.
Decimus	4.	Vigesimus secũdus	6.
Vndecimus	8.	Vigesimus tertius	5.
Duodecimus	7.	Vigesimus quartus	2.
		Et sunt simul	155.

Infortiati.

Primus liber habet Titulos	8.	Octauus	1.
Secundus	10.	Nonus	10.
Tertius	10.	Decimus	9.
Quartus	8.	Vndecimus	3.
Quintus	7.	Duodecimus	4.
Sextus titulum	1.	Tredecimus	15
Septimus	1.	Decimus quartus	18
		Et sunt simul	105

Digest

Digesti Noui.

Primus liber habet Titulos	6.	Septimus	3.
Secundus	16.	Octauus	8.
Tertius	11.	Nonus	23.
Quartus	9.	Decimus	24.
Quintus	32.	Vndecimus	18.
Sextus	7.	Duodecimus	17.
		Et sunt simul	174.

CODEX diuiditur in libros partiules XII.

Quorum primus habet Titulos	58.	Septimus	75.
Secundus	59.	Octauus	59.
Tertius	43.	Nonus	51.
Quartus	66.	Decimus	76.
Quintus	75.	Vndecimus	77.
Sextus	61.	Duodecimus	64.
		Et sunt simul	764.

AVTHENTICORVM siue Nouellarum Constitutionum.

Prima Collatio habet Titulos	6.	Sexta	14.
Secunda	6.	Septima	10.
Tertia	7.	Octaua	13.
Quarta	7.	Nona	15.
Quinta	20.	Et sunt simul	98.

Decima Collatio Authenticorum, siue Nouel-

Nouellarum Constitutionum, aut liber siue vsus Feudorum habet Titulos 87.

INSTITVTIONVM

Primus liber habet Titulos	26.	Tertius	30.
Secundus	25.	Quartus	18.
		Et sunt simul	99.

CAPVT III.

De Digestis.

PRimus liber Iuris Ciuilis est Digestum, cõtinens in se leges & statuta Romanorum, tribus Voluminibus. Primum Volumen vocatur *Digestum Vetus*, quod habet 24. libros partiales. Secundum *Infortiatum*, & habet 14. libros partiales. Tertium, *Digestum nouum*, quod habet 12. libros partiales. Vocaturque hoc nomine Digestum, quia omnia decidenda digeruntur & soluuntur. Alio nomine dicitur Pandectæ à Græco nomine πᾶν, quod est totum, & participio verbo δέχομαι, quod est capio, quasi omnia intra se comprehendens: est enim volumen aliquod omnia vniuersaliter continens.

Est autem liber iste, *Digestum* nuncupatus, collectus ex veteri iure, quod ab vrbe condita, & à temporibus Romuli, vsq; ad tempus Iustiniani

Iustiniani Imperatoris, ferè per mille annos & trecentos, confusè statutum fuit: & extendebatur in duo penè millia librorum, & decies centena millia versuum, id est, paragraphorum vel responsorum.

Scribitur verò Digestum per duplex ff. cõtra morem omnium librorum legalium, cum nulla litera f. ponatur in hoc nomine digestũ, ideò (vt aiunt quidam) quia per duos Imperatores, quorum quiuis Federicus nominabatur, postea maturius ruminatum est, & Digestum: à quorum Imperatorum quolibet nomine, sumpta est prima litera F.

Infortiatum autem dicitur vulgò ab in, id est valde, & forte, quia multum fortes leges in eo continentur, id est dispositiones vltimarum voluntatum, quæ non debent immutari.

NOTA, quod quando in Digesto veteri, Infortiato, vel Digesto nouo, allegatur aliquis textus, tunc primo ponitur nomen libri, non partialis, nec veteris, noui, vel Infortiati, sed Digesti in genere, per duplex ff. postea titulus vel rubrica: deinde apponitur lex illius tituli cum sua determinatione, vel numero sequẽti. Et si lex est longa, ponitur §. primus, vel secundus, vel responsum primum, vel secundum, &c. exemplum, ff. de damno infecto l.

 si fini-

si finita. §. si quis autem. quod ita abbreuiacum valet ac si dicere velles, in libro digestorum, sub tiulo de damno infecto, in lege quę incipit, si finita. in §. si quis autem. illius legis. Aliud exemplum, ff. ad leg. Rhod. de iac. l. nauis, §. cum autem. id est, Digestis ad legem Rhodiam de iactu, in lege nauis, in paragrapho cum autem, & sic de alijs.

CAPVT IV.

De Codice.

SEcundus principalis liber Iuris Ciuilis dicitur Codex, qui continet statuta, sanctiones, & diuersa præcepta Imperatorum: quãuis communiter loquendo, Codex dicatur quilibet liber in se habẽs diuersos libros partiales. Fuerunt tamen ante tempus Iustiniani Imperatoris, tres Codices legum, scilicet Codex Gregorianus, Hermogenianus, & Theodosianus, ex quibus Diuus Iustinianus fecit fieri vnum codicem, quem suo felici nomine intitulauit, & qui nunc vocatur *Codex Iustiniani*, vt patet in rubrica prœmij huius libri. Et scribitur per C. magnũ, quæ est prima litera huius nominis Codex. Diuiditur autem vti supra diximus in 12. libros partiales, sed quorum vltimi tres, longè post primos nouem compo-

compositi sunt, & raro leguntur à Doctoribus. In primis autem nouem libris Codicis allegatur suo modo, sicut & in Digestis, primo ponendo nomen libri Codicis, deinde titulum, postea legum, cum suo principio vel numero, Exemplum C. de præscrip. xxx. vel xl. anni, l. si quis, §. pen. id est, in libro Codicis, sub titulo de præscriptionibus xxx. vel xxxx. annorum, in lege, si quis, in paragrapho penultimo.

In vltimis tamen tribus libris, hoc refert, quod in fine allegationis (vt præmissum est) additur numerus libri, vt allegando C. de armorum vsu iuxta principem. l. 1. lib. 10. C. de Muri legulis & Gyneciarijs l. &c. lib. 11. Et est magis necessariũ quodsdã titulos plenius scribere, quia sunt in his libris tribus valde rari & inusitati tituli, quia nõ frequentatur in scholis legendo, sicut alij libri nouẽ priores.

Et volunt aliqui dicere, quod quando in Codice allegatur, non sit necesse addere l: dicendo sic, C. de iud l. properandum, sed simpliciter debeat dici, de iudic. properandum sine hoc addito, lege: nisi esset lex 1. 2. 3. vel penultima, vel antepenultima. Tunc enim oporteret addi, lege prima, secunda, vel penultima. Sed siue hoc in toto seruatur, siue non, non est magna vis.

Item interdum in Codice allegatur Authentica, quæ est antiquo iuri superaddita, & incorporata, vt C. de episc. & cle. Authen. generaliter, id est, in Codice sub titulo de episc. & cler. in Authentica ibi incorporata, quæ incipit, Generaliter.

CAPVT V.

De Autentico.

TErtius principalis liber, vocatur Autenticum, in numero singulari: & Authentica Authenticorum in numero plurali. Et sunt Authentica quædam excerpta, quasi summula librorum supradictorum.

Diuiditur autem iste liber in IX. collationes, quarum quælibet subdiuiditur in titulos. Tituli verò subdiuiduntur non in leges, sed in paragraphos. Et quando ex Authentico allegatur aliquis textus, præmittitur primò nomen libri cum præpositione in; deinde ponitur titulus, postea subiungitur paragraphus cum ipsius incæptione: & in fine ponitur quota collationis. Quamuis enim collatio naturaliter præcedit paragraphum, qui in ea continetur, tamen collatio cum sua quota consueuit vltimò allegari: licet etiam interdum omittatur. Exemplum sumatur sic allegando

allegando. in Authen. de lenonibus, §. sancimus, coll. 3. id est, in libro seu volumine Authenticorum sub titulo de lenonibus, in §. qui incipit, Sancimus, sub collatione 3. Aliud exemplum. in Authen. de trien. & semiss. §. consideremus, collat. 3. id est, in Authentico de triente & semisse, in §. consideremus, &c. nota differentiam inter Authēticum & Authenticam. Nam Authenticum est liber principalis Voluminis, de quo nunc loquimur. Authentica verò est lex vna vel paragraphus incorporatus in lib. C. & allegatur hoc modo, sicut etiam prædictum est in libro. C. in Authen. multò magis C. de sac. sanct. eccl. &c.

LIBER FEVDORVM, qui alio nomine dicitur Collatio X. diuiditur in duos libros Partiales, quorum quilibet subdiuiditur in titulos, & isti in capitula & paragraphos. Vnde vt exemplariter dicatur, in allegatione huius libri, primò ponitur nomen libri, postea titulus, deinde capitulum & §. vt sic allegando in libro, alias & communius, in vsibus feud. de prohib. feud. alien. per Federic. c. 1. §. hac edictali. Et hoc breuitatum sic intelligitur: id est, in vsibus feudorum (qui liber collatio decima dicitur) sub rubrica de prohibita feudi alienatione per Federicum,

prohibita fendi alienatione per Federicum, in capitulo primo, & paragrapho allegato. Et est necesse apponere per Federicum, ad differentiam alterius tituli in eodem libro de prohib. feud. alien. per Lotharium. Potest etiam nomen libri vltimo subiungi, vt in hoc exemplo. quib. mod. feud. amitt. cap: vnico, §. rursus. in vsibus feud. id est, in rubrica, quibus modis feudum ammittatur, c. vnico §. rursus in vsibus feudorum. Etiam interdum allegatur collatione decima, sic breuiando, collatio x. quia iste liber post ix. collationes authenticorum editus est. Alia possunt accipi exempla multa. De feud. mar. duc. & cō. id est, de feudo marchiæ, ducatus & comitatus. De inues. in man. fac. id est, de inuestitura in mancum facta, de milit. vasal. qui cōtum. est, id est, de milite vasallo, qui contumax est. Et ita de omnibus alijs extendendo, & abbreuiando rubricas, cum subiunctione tamen ca. & §. in quo continetur authoritas vel textus allegatus.

CAPVT VI.

De Institutionibus.

QVartus liber principalis dicitur Instituta, vel Institutiones in numero plurali. Et diui-

diuiditur in quatuor libros partiales, qui sunt introductorij in alios libros legales; & subdiuiduntur vlterius in titulos, & hi in paragraphos, nō in leges nec in capitula: & paragraphi interdū quando longi sunt in versiculos.

In allegationibus autē huius libri talis modus obseruatur, quod primò liber nominatur, postea rubrica, deinde paragraphus cum versiculo. Exempli gratia. Instit. de iusti. & iur. §. 1. id est, in libro Institutionum, sub rubrica de iustitia & iure. in paragrapho primo illius rubricæ. Aliud. Instit. de iur. nat. gen. & ciui. §. sed quoties, id est, Institutionibus de iure naturali, gentium, & ciuili, paragrapho allegato.

Et hæc de nominibus, diuisionibus, & exemplis ipsorum librorum legalium, pro nunc sufficiant. Vbi tamē *notandum est*, quod quidam liber, *paruum volumen* appellatus est, continens in se aliquos prædictorum librorū totalium, & aliquos partialium titulos, videlicet Authentica, Vsus feudorum, & tres vltimos libros Codicis, scilicet, decimum, vndecimum, & duodecimum, qui raro legi consueuerunt, & titulos habent plerosque rarissimos.

TRACTATVS IV.
De Iure Canonico.
CAPVT I.
De Subiecto Iuris Canonici, & diuisione eius in libros generales.

IVRIS Canonici ſubiectum eſt, bonum cōmune fidelium directiuum, deciſionem ſingulorum negotiorum continens, rerumque Eccleſiaſticarum vtilitatem conſeruans. Vel vt breuius loquamur: *Subiectum Iuris Canonici eſt homo Catholicus dirigibilis de Iure Canonico in bonum humanum atque diuinum.*

Ius autem Canonicum in quatuor libris principalibus nobis eſt traditum: quorum primus vocatur *Decretum*, Secundus *Decretales*, Tertius *Sextus*, & Quartus *Clementinæ.*

Hic primum ſciendum eſt, differentiam eſſe inter Decretum, Canonem, & Decretalem Epiſtolam. Nam *Canon propriè dicitur* ſtatutum in Concilio generali, vel prouinciali, factum authoritate Epiſcoporum: vt de conſec. c. 1. *Decretum verò eſt* ſtatutum, quòd Papa de conſilio Cardinalium, ad nullius tamen conſultationem ſtatuit, & inſcriptis redegit, vt de reſcript. capit. præſenti. Hic autem Decretum ſumitur pro nomine libri, in quo

quo sanctorum Patrum dicta descripta sunt. Capitur etiam aliter Decretum de rebus eccl. non alien. capit. 1. lib. 6. in glossa magna, in fine, vbi ponitur differentia inter decretum, authoritatem, & consensum vel collaudationem iudicis, &c. *Decretalis verò epistola dicitur*, quam Papa solus, vel de consilio Cardinaliū ad consultationem alicuius rescribit & respondet, vt de rescrip. cap. 1. & glossa 3. §. omnes hæ species dist. 3.

Sciendum secundò, quòd indifferenter Decreta, Canones, & Decretales: Ius Canonicum nuncupantur, vel Canones, & vnum specie pro reliquo sumitur.

Vocatur etiam Canonica institutio aliquādo dogma, quia consistit in doctrina fidei Christianæ, de consecrat. distin. 5. cap. fin. Aliquando mandatum, quia consistit in doctrina de moribus. dist. 54. denique. Aliquādo interdictum, quando nulla pœna adijcitur, de consecr. dist. 3. non oportet, & quandoque sanctio, quando pœna additur, 27. quæst. 4. si quis vere. Hic etiam Decretales in plurali numero vtimur pro libro, in quo dicta capitula, quæ etiam Decretales dicuntur continentur.

CAPVT II.

De Decreto.

PRimum librū Iuris Canonici, qui Decretum dicitur composuit Magister Gratianus, Ordinis S. Benedicti professus, non quidem inueniendo, sed dicta sanctorum Patrum in diuersis dispersa voluminibus in vnū volumen debitè & ordinatè colligendo: & hoc circa annumDńi, M.C LX XXXIII.

Diuiditur autem hic liber primus Decretū in tres partes principales: quarum *prima vocatur* DISTINCTIONES, quia subdiuiditur in partes centum & vnam, quarum quælibet distinctio dicitur. Iste autem distinctiones vlterius subdiuiduntur in canones vel capitula: qui canones interdum propter ipsorum prolixitatem subdiuidi possunt in paragraphos, & paragraphi ipsi si longi fuerint in versiculos. *Secunda pars Decreti nominatur* CAVSÆ, & continet in se xxxvi. causas, in quas diuiditur, à quibus & nomen accepit; quæ causæ subdiuiduntur vlterius in quæstiones, & hæ in canones vel capitula, quæ vltra in paragraphos & versiculos subdiuidi possunt, vt de distinctione canonum præmissum est.

Est tamen animaduertendum, quod causa trige-

trigesimatertia habet quæstiones sex: quarũ quæstionum tertia non diuiditur immediatè in canones vel capitula, sed ibi interponitur tractatus de pœnitentia, qui continet in se distinctiones septem, in quas diuiditur: & hæ subdiuiduntur in capitula vel canones, & paragraphos vt supra dicebatur. *Tertia & vltima pars Decreti nuncupatur* DE CONSECRATIONE, & habet in se quinq; distinctiones in quas diuiditur, quarum quælibet in plures subdiuiditur canones vel capitula, & quandoq; in paragraphos, vt supra dictum est.

NOTA de prima parte Decreti, quòd in allegando illa syllaba di. vel dis. etiã sola litera d. significat distinctionem, & numerus immediate sequens denotat quotam distinctionis: vltimo ponitur principium canonis vel capituli, in quo authoritas vel allegatio continetur. Exemplum, 8. dist. quo iure, id est, in prima parte Decreti, in distinctione octaua illius partis, in canone, qui incipit, quo iure.

In secunda parte Decreti NOTA, quòd per numerum positum ante literam q. datur intelligi quota causæ. Et sic omnia talia adiectiua numeralia, prima, secunda, tertia, quarta &c. vsque ad tricesimam septimam ante literam q. posita, semper includunt hoc substantiuum causa. Nec debet ille numerus

exce-

excedere 36. quia non ſunt plures cauſæ in ſecunda parte Decreti: & per literam q. intelligitur quæſtio in nominatiuo, vel alijs caſibus, ſecundum exigentiam congruitatis. Communiter autem in ablatiuo allegatur, quæſtione. Vltimo ſubiungitur canon, vel capitulum illius quæſtionis, in quo authoritas allegata quæri debet. Exemplum, 1. q. 1. principatus, & capitulo cum Paulus; id eſt, in ſecunda parte Decreti, in prima cauſa illius partis, & in prima quæſtione illius primæ cauſæ, in canonibus incipientibus, principatus. & cum Paulus: iſto obſeruato, quòd in toto iure non breuiatur principium canonis, capituli, vel legis: ſed ſemper integrè ponitur, prout in libro continetur.

Quia tamen tractatus de pœnitentia inſeritur in quæſtione tertia, ipſius cauſæ triceſimæ tertiæ, vt ſupra dictum eſt; ideo addendum eſt ſemper verbum hoc, de pœnitentia, in allegando ſic, de pœ. diſ. 1. homicidiorum & c. homicidium, id eſt, in ſecunda parte Decreti, in cauſa xxxiij. in quæſtione 3. iſtius triceſimæ tertiæ cauſæ, in diſtinctione prima illius quæſtionis, in tractatu de pœnitentia, in canonibus qui incipiũt, Homicidiorũ, &c.

In tertia deniq; parte Decreti, hoc modo allegatur, de con. di. 1. Nocte ſancta. cap.

missas,

missas, & cap. omnis Christianus. Hoc est, in vltima parte Decreti, quæ intitulatur De consecratione, in prima distinctione illius partis, in canonibus qui incipiunt Nocte sancta, &c. Non debet autem in tertia parte Decreti vltra quintam distinctionem allegari, sicut nec in secunda parte vltra septimam, & in prima parte non vltra centesimam primã; quia nulla partium plures habet distinctiones. Ideo vltra allegans notaretur tanquam imperitus errare.

Et quia in qualibet parte Decreti sunt distinctiones, NOTA differentiam in allegando. Nam quando allegatur distinctio absolutè cum numero, sine addito alterius determinationis; vt dicendo, dist. 3. 4. vel 5. &c. tunc quærendum est in prima parte Decreti, vbi sunt centum & vna distinctiones. Quando autem allegatur distinctio cum addito de pænitentia, vt sic: de pœnit: dist. 5. 4. &c. tunc quæri debet in secunda parte Decreti, in causa 33. & quæstione tertia illius causæ, vbi ponitur *Tractatus de pœnitentia*, qui habet distinctiones septem. Sed si allegatur distinctio cũ addito tali, de Consecratione, vt sic, de consec. dist. 2. vel 3. tunc quæritur in tertia parte Decreti, vbi sunt tantũ quinque distinctiones nec etiam plures allegabis, aliàs te ostendes Iurisignarum.

CAP-

CAPVT III.

De Decretalibus.

SEcundus liber Iuris Canonici, qui Decretales nominatur, à Gregorio Papa IX. cõpositus est: qui in vnam compilationem redigi procurauit, per magistrum Raymundũ suum Capellanum, diuersas decretales epistolas prædecessorum suorum corrigens & concordans: & hoc circa annum Domini, MCCXXXI. Et sic penè annis triginta octo, post compilationem Decreti, Decretales in hanc formam redactæ fuère. Nam post hoc sub anno Dñi, MCCXL VI. Conciliũ Lugdunense fuit celebratum, ab Innocentio Papa IV. anno sui Pontificatus 2. in quo multas edidit constitutiones, quas etiam suo tempore super Decretales conscripsit.

Iste igitur liber Decretales vocatus, diuiditur in quinq; libros partiales: quorum quilibet vlterius subdiuiditur in multos titulos vel rubricas: & tituli in capitula, capitula in paragraphos, & hi interdum in versiculos, *Primus autem liber Decretalium*, tractat de personis Ecclesiasticis, & Ecclesiæ ministris, deque eorum officijs, & quomodo tales creandi, aut ordinandi sunt. Et continet titulos 43. *Secundus liber decretalium est*, de iudicijs, & de requi-

requisitis in iuditio: habetque titulos 30. *Tertius est*, de vita & honestate Clericorum, & rebus eorum, & rebus Ecclesiarum. Et habet titulos 51. *Quartus* desponsalibus & matrimonijs, deq; cæteris his annexis. Et continet titulos 21. *Quintus & vltimus* de accusationibus, & criminibus, deq; diuersis pœnis pro ipsis infligendis. Et continet titulos 4. Quibus omnibus computatis, totalis liber Decretalium habet titulos, vel rubricas 185.

Allegatur autem ex decretalibus sic: de sum. Tri. & fi. Cat. damnamus. id est; de summa Trinitate & fide Catholica, capitulo Damnamus. Aliud exemplum. de elec. cum in cunctis. id est, in libro Decretalium, sub titulo de electione, in capitulo quod incipit, Cum in cunctis. & ita de alijs.

CAPVT IV.

De Sexto.

Tertium librum Iuris Canonici, qui Sextus appellatur, composuit Bonifacius Papa VIII. in quo Decretales epistolas suorum Prædecessorum, videlicet Gregorij X. Innocentij IV. Clementis IV. & aliorum cum suis proprijs epistolis recollegit in vnum librum, quem Sextum appellauit: non sic

quòd

quòd ille cum alijs quinq; partialibus libris Decretalium in vnum volumen Sextus connumeretur, sed quia liber est specialis, post dictos quinq; editus, supplens defectum diuersorum casuum emergentium, in alijs non comprehensorum. Et sunt promulgatę constitutiones libri Sexti, anno à natiuitate Dñi, M. CC. LXXXXXVIII. Nonis Martij, Pontificatus Bonifacij Papæ VIII. anno 4.

Diuiditur autem Sextus eodem modo, in quinq; libros partiales, sicut & Decretales; & quilibet horum librorum in titulos, & hi per capitula & paragraphos, vt supra. Quamuis in Sexto non sint tot tituli sicut in Decretalibus, nec tot capitula in titulis: sed vbi deficit aliquid non plenè decisum in Decretalibus, id ponitur in Sexto. Et sciendum quod in Sexto allegatur eodem modo, vt in Decretalibus, hoc solum mutato, quod in Sexto allegando semper in fine additur lib. vi. propter differentiam librorum, quia omnes rubricæ Sexti sunt etiam in Decretalibus. Debet ergo ad rubricã post capitulum addi libro sexto, vt Sciatur esse in Sexto, alias ex omissione huius additionis contingeret errare. Exemplum, de Constit. vt animarum, libro sexto. & de rescrip. statutum, §. cum verò. ver. nullus, lib. eo. Hoc est, in libro

libro Sexto, sub titulo de consuetudinibus, in capitulo quod incipit, Vt animarum. Et sub titulo de rescriptis, in capitulo quod incipit, Statutum, in paragrapho illius capituli, qui incipit, Cum vero, in versiculo, Nullus, libro eodem.

CAPVT V.

De Clementinis.

QVartum librum Iuris Canonici, qui *Clementinæ* dicitur, sub audiendo *Constitutiones*, incæpit & edidit Clemens Papa V. sub anno Dñi, M.CCC. X. in Concilio Viennensi, quod sex mensibus durauit, sed ipse Clemens morte præuentus, ad publicum non perduxit. Cæterum Ioan. Papa XXII. post eum compleuit, correxit, in quibusdam mutauit, & executioni demandauit. Quæ constitutiones ita collectæ dicuntur Clementinę, à Clemente V. & fuerunt promulgatæ anno Domini M. CCC. VI. 4. Kalen. Nouembris.

Et diuiduntur Clementinæ, eodem modo in quinq; libros, iuxta materiam istius versus. *Iudex, iudicium, clerus, sponsalia, crimen.* de quo tractant, sicut Decretales, & Sextus; licet pauciores contineant titulos, & tituli pauciora capitula, in quos, & quæ, rursum diuiduntur.

duntur. Vbi sic allegatur. de hæret. Ad nostrũ. in Clemen. id est, in constitutionibus Clementinis, sub titulo de hæreticis & Manichæis, in capitulo quod incipit. Ad nostrum. Aliud exemplum. de reliq. & vene. sanct. Si dominum, in Clemen. id est, de reliquijs & veneratione Sanctorum, in capitulo, Si dominum. in Clementinis. & sic de alijs. Nam hic allegatur per omnia sicut in Decretalibus, solùm eo dempto, quòd additur hic inClemen. sicut in Sexto, additur libro Sexto, propter rationem ibi dictam. Ex his autem supradictis Iuris Canonici libris, ad imitationem Institut: Iustiniani, fecit mandato Pij V. Pont: Max. *Institutiones Iuris Canonici*, Ioannes Paulus Lancelottus Perusinus, quæ passim doctissimorum virorum manibus teruntur, & in Academia Cracouiensi, quolibet semestri studiosæ iuuentuti, publicè præleguntur.

Et hæc de quatuor libris principalibus Iuris Canonici, & allegationibus eorum, ad Omnipotentis Dei laudem, & Iuris vtriusque alumnorum instructionem, dixisse sufficiant.

Finis Accessus ad Iuris cognitionem.

SIMONIS STAROVOLSCI
COMMENTARIVS
IN IV. LIBROS
INSTITVTIONVM
IVRIS CIVILIS
D. JVSTINIANI.

APPROBATIONES.

In Libro intitulato *Simonis Starouolſcij Commentarius in quatuor libros Inſtitutionum Iuris*, nihil reperitur contrarium Sanctæ Fidei Catholicæ. Sicut & in priori libello intitulato *Acceſſus ad Iuris utriusque cognitionem*; proinde poteſt imprimi.

Commiſſarius SS.Inquiſitionis Venet.

Ego IACOBVS VSTIENSIS S. Th. & I.V.Doctor, Eccleſiæ Collegiatæ S.Floriani Canonicus, per Diœceſim Cracouien. Ordinarius Librorum Cenſor, *Commentaria in libros quatuor Inſtitutionum Iuris Ciuilis Simonis Starouolſcij in lucem edi concedo.*

LIBER PRIMVS INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS DIVI IVSTINIANI

Commentario & Paraphrasi SIMONIS STAROVOLSCI explicatarum.

PROOEMIVM.

LEges sola humana ordinatione statutæ, Ius positiuum appellantur, & aliæ vernaculæ, *aliæ verò* aduentitiæ *à Iurisconsultis dicuntur: Illæ, quòd in eodem loco, vbi seruantur, pro illius loci & incolarum opportunitate fuerint determinatæ. Istæ, quòd alibi conditæ, ad proprium vsum Reipub. fuerint importatæ. Ius igitur Romanum quod commentariis nostris illustrandum assumpsimus, quia pro temporum varietate, variè prodiit, & partim à Græcis assumptum est, partim in Vrbe ipsa natum; inq; Vrbe etiam ipsa penes diuersos eius sanciendi potestas fuit.*

Propterea, vt singula illius genera clarius percipiantur, operæ precium me facturum putaui, si paucis explicarem de origine illius, priusquam ad enodationem Institutionum ipsarum peruenirem.

DE ORIGINE ROMANI IVRIS.

VRbem Romam, testante Tacito, à principio Reges habuêre, à quibus sine certa lege, sine certo iure omnia

MANV REGIA,

id est, Principis authoritate, & voluntate gubernabantur. Aucta postmodum, atq; in triginta Curias, (à cura, quam pars quælibet sui habebat, sic dictas) per Romulum primum Regem diuisa ciuitate, ipse primò ijs leges quasdã tulit; tulerunt & sequentes Reges, quę

LEGES CVRIATÆ

appellatæ sunt, quia singulis Curijs separatim constitutis, earum auditis sententijs ferebantur. Hæ autem Curiarum congregationes à coeundo, quasi simul irent,

COMITIA CVRIATA

dictæ sunt. Eædem leges, quia à Sexto Papirio fuerunt in vnum collectæ, atque in ordinem

nem compositæ, ideo appellabantur
IVS PAPIRIANVM.

Cùm verò idem Romulus iam nouam ciuitatem legibus, & iuuenum viribus, ac robore munitam cerneret, haud minoris momenti fore ratus, si eandem consilij ope fulsisset, ex primoribus, qui tunc aderant, ciuibus, centum numero elegit, quos ob honorem Patres, ob ætatem
SENATORES,
quasi seniores appellauit, vt eorum consilio Rempub. administraret, ijsq; liceret in Senatu sententiam dicere. His totius Reipublicæ summa innixa erat, vt ne Reges quidem inconsulto Senatu quippiam molirentur; quocirca maxima erat eorum Romæ authoritas & existimatio, etiam illis nascentis vrbis incunabulis. Et qui horum primorum centum Patrum legittimi essent filij
PATRICII
nuncupabantur, siue tales natura essent, siue Adoptione; etiam si in illis emancipatio interuenisset.

Exactis deinde Regibus ob Tarquinij superbi Tyrannidem, qui pleraque præter Senatus authoritatem decernens cunctos in sui odium induxerat, & potissimum ob stupratam noctu, & violenter attrectatam à Sexto

Tarquinio eius filio Lucretiam ornatissimã matronam, omnes eorum leges exoleuerũt, ac denuo cæpit populus Romanus incerto magis iure, & consuetudine vti. Sed vt aliqui essent, qui populum & Senatum consulerent, & quibus opus esset, ius dicerent, statim electi sunt anno ab Vrbe condita CC. XL IV. L. Brutus Regis eijciendi auctor, & L. Tarquinius Collatinus, qui

CONSVLES,

a consulendo dicti sunt, eo quod plurimum Reipublicæ consulerent. Penes eos, vt summum ius resideret, populi lege constitutum fuit. Ne tamen per omnia Regiam potestatẽ sibi vendicarent, eadem lege factum est, vt

EORVM OFFICIVM ANNALE

esset, & vt ab eis prouocaretur ad populúm: & ne possent in caput ciuis Romani animaduertere, nisi iussu populi, sed illum duntaxat coercere, & in publicis habere vinculis. Hac ergo tempestate penes solum populum, eodem Consule interrogante, residebat legis sanciendæ potestas.

Cùm verò ita excreuisset nobilium crudelitas, vt libera corpora debitorum plebei generis ob æs alienum pro seruis necterent: plebs nobilium promissis sæpè delusa, in sacrum montem trans Anienem (Sicinio authore)

thore)

thore) primò secessit, nec inde prius reuocari potuit, quàm Menenius Agrippa, vir ea tempestate summæ authoritatis, Apologo de conspiratione membrorum contra ventrem, plebe delinita Patres induxisset, vt ex plebis quoque corpore magistratus in vrbe Bini Viri quotannis crearentur, ab vrbe condita, Anno 260. qui

TRIBVNI PLEBIS

fuerunt appellati: vel à tribus partibus, in quas Romanus populus diuisus erat, & ex quibus singuli creabantur; vel quia tribuum suffragio eligebantur; vel, vt Vegetius ait, quia tribuebant Iura militibus.

EORVM MVNVS

erat, plebem à nobilium potentia tueri, vt plebs quæ sibi seruanda viderentur, ijsdem interrogantibus sanciret, quæ

PLEBISCITA,

quasi à plebe sancita dicebantur. Initio itaque duo solum modò Tribuni creati fuerunt. A. Virginio, & T. Vetusio, Consulibus. Sed mox alij tres additi, Appio Claudio, & C. Quinitio Cons. Demum alij quinque Cons. M. Oratio Puluillio, & Q. Minutio.

TRIBVNORVM POTESTAS

licet annua, tanta esse cæpit, vt quicquid Senatus decreuisset, ita demum ratum

haberetur, si Tribuni approbassent.

Eo tamen tempore Romana Respub. præscriptas in ijs, quæ occurrere poterant, abundè ac distinctè leges non habebat: ideoque ne incerto iure diutius vagaretur, sed certis & probatis legibus fundaretur, tres legatos, exstructis ex publico ære triremibus, Athenas miserat, vt inclytas Solonis leges scriptas, afferrent; iuraque & mores aliarum ciuitatũ noscerent. Fuerunt hi, Spurius Posthumius, Seruius Sulpitius, & Aulus Manlius. Romam verò allatis legibus, anno ab V. C. 303. constituti sunt

DECEM VIRI,

qui ex ijsdem Græcis legibus, patrijsque consuetudinibus Romanas leges conderent, scriberent, & quod studiosè fecerunt, in decem tabulis pro rostris ponerent, vt commodius, & conspici, & percipi possent.

POTESTAS

data est eis eo anno in ciuitate summa, vt leges corrigerent, si opus esset, & interpretarentur: neque prouocatio ab eis, sicut à reliquis Magistratibus, fieret.

Hi animaduertentes aliquid illis primis legibus deesse, in alium annum prorogato eorum magistratu, alias duas eisdem tabulis adiecerunt; & ita ex earum numero appellatæ fuerunt LEGES

LEGES XII. TABVLARVM.

Quia tamen illis, non erat rebus omnibus prouisum, iisdem propterea cauebatur, *Quodcunque postremum populus iusserit, id ius, ratumque esto.* Per quæ verba Romano populo facultas reseruabatur, occurrentibus casibus, à Senatorio Magistratu, veluti Consule, propositis, iura constituendi, finito tamen Decẽ Virorum Magistratu. Hic, licet Appij Claudij Decem Virorum Principis astu, ob dominãdi libidinem, in sequentem quoque annum prorogatus fuisset, eorumque potestas in tyrannidem conuersa esset, cùm & populum iniuriosè tractarent, neç vellent deinceps Magistratus sufficere, vt ipsi cum sua factione perpetuò Rempub. occupatam retinerent. Tamen ob eiusdem Appij stuprum, cum Virginij militis formosissima filia, nefandis artibus tentatum eodem Virginio authore, filiã lanionis cultro necante, eiusque morte stupri contumeliam arcente, citò est

DECEM VIRALIS AVTHORITAS ABDICATA.

Cùm enim idem Virginius protinus recedẽs à cæde, ad commilitones confugerit, illi omnes Appij odio concitati, de Algido monte, vbi belligerandi causa legiones erant, relictis Ducibus Decemuiralibus, signa in Auentinum

tinum montem transtulerunt; omnisq́; plebs vrbana mox eodem se contulit, & Decem Viri, populi consensu, partim in carcere propria manu necati sunt, vt Appius, & Oppius, partim in exilium missi, cum omnes in foro insignia deposuissent. Et ita rursus Respub. ad pristinum suum statum, & ad Consules rediјt, anno ab V. C. 304. Creatiq́; fuerunt Consules. M. Horatius Barbatus, & L. Valerius Potitus, & isti ante dictam plebis seditionem.

LEGE HORATIA & VALERIA, cui nomen illi dedere, sedauerunt. Cùm enim veluti in controuerso iure esset, *tenerenturné Patres Plebiscitis?* legem centuriatis comitijs tulere, vt *quod tributim plebs iussisset, populum teneret*. Qua lege, teste Liuio, Tribunitijs rogationibus telum acerrimum datum est: per eam enim confirmatæ fuerunt leges, quas plebs curiatis comitijs tulisset: eademq́; potestate esse voluerunt cum his, quas populus Romanus centuriatis comitijs ferret, capiteque sanxerunt, si quis aduersus eas fecisse depræhensus esset, eiusque bona publicari iusserunt.

Hoc idem fuit postea renouatum, anno ab V. C. 414. à Q. Publilio Philone Dictatore, qui

LEGE

LEGE PVBLILIA,

ſic ab eius nomine dicta, conſtituit, vt Plebiſcita omnes Quirites ligarent.

Cùm verò harum legum obſeruantia, in deſuetudinem forte abijſſet, & plebs iterum in diſcordiam cum Patribus veniſſet, atque in Ianiculum ſeceſſiſſet. Q. Hortenſius Dictator, anno ab V. C. 461.

LEGE HORTENSIA,

quæ ab eo nomen accepit, vt plebem cum Patribus reconciliaret, iterum cauit, *vt eo iure, quod plebs ſtatuiſſet, omnes Quirites tenerentur.* Quare poſt hanc legem, quicquid Tribunus plebem rogaret, & ſi verè Plebiſcitum eſſet, tamen Lex dicebatur. Et de hac, vti nouiſſima, meminit Iuſtinianus Imperator, dum ait: *ſed & Plebiſcita lege Hortenſia lata non minus valere, quam leges cœperunt.* Inter legem enim & Plebiſcita, ſpecies tantùm conſtituendi intererat, cum tamen poteſtas omnino eadem eſſet. Differebant enim *Primo* quia lex à maioribus, Plebiſcitum à minoribus Magiſtratibus, nempè à Tribunis ferebatur. *Secundo*, quod Lex ab vniuerſo populo, Plebiſcitum à plebe tantùm iubebatur. *Tertio*, quia leges comitijs omnibus, ſiue Centuriatis, ſiue Curiatis, ſiue Tributis, Plebiſcitum verò tributis tantûm rogabatur. Illæ propterea teſte Cicerone,

LEGES CONSVLARES

dicebantur, quia à Consulibus rogabantur. Plebiscita verò

LEGES TRIBVNITIÆ

vti à Tribunis rogatæ. Istarumq́ue Tribunitiarum nonnullæ sunt in Pandectis, & inter alias Lex Aquilia, ab Aquilio Tribuno plebis sancita.

Cùm autem populus Romanus in eum modum auctus esset, vt difficile plebs conuenire posset; Populus verò multò difficilius, legis sanciendæ causa, in tanta hominū turba, necessitas ipsa curam Reipub. ad Senatum deduxit, æquumq́ue visum est, Senatum vice populi consuli. Et ita cœpit Senatus authoritatem suam in legibus ferendis interponere, & quicquid constituisset, pro iure obseruare. Id autem Ius appellabatur

SENATVS CONSVLTVM,

quia de eo Senatus consultus esset: cum antea etiam ab Vrbe condita Respub. omnis in potestate Senatus esset, præter Magistratuum creationem, Legumlationem, & belli, pacisq́ue arbitrium, teste Halicarnasseo, lib. 6.

Cum verò Consules è Senatu creati, bellis finitimis auocarentur, & in re militari vt plurimum essent occupati, neque esset, qui in ciuitate ius reddere posset, post primum bellum

lum Punicum, anno ab V. C. 511. factum eſt, vt Magiſtratus vnicus ex Patribus crearetur, vt gratia Senatui reponeretur, quod plebi ad Conſulatum eſſet apertus aditus; iiſque à præeundo, vel quod cæteris præeſſet,

PRÆTOR

appellatus eſt: quod nomen licet Magiſtratibus omnibus conueniret, huic tamen magiſtratui peculiare fuit: Et quia in vrbe ius reddebat,

PRAETOR VRBANVS,

propterea appellatus eſt. Eo autem non ſufficiente, quod multa turba etiam peregrinorum in ciuitatem veniret, ideo alius etiam Prætor creatus eſt: qui

PRAETOR PEREGRINVS

appellatus fuit, eo quod plerumque inter peregrinos ius redderet.

EORVM MVNVS

vt ſecundum iura, à populo, plebe, & Senatu præſcripta, quorum in principio ſui Magiſtratus iurabant obſeruantiam, omnibus iuſtitiam facerent, vt cæteri magiſtratus, qui propterea *Iuris Ciuilis diſceptatores & cuſtodes*, lege etiam XII. tabularum appellabantur.

Verùm, quia ius ciuile, non omnibus notum erat, nec rebus omnibus prouidebat, & in multis, mutata forſan temporum & perſo-

narum

narum conditione, nimis durum & asperum videbatur, & sæpè contra publicam vtilitatem, quæ mater est Iuris Ciuilis; ideo Prætores in principio sui officij, vt scirent ciues, quod ius de quaque re quisque dicturus esset, seque præmuniret

EDICTA

proponebant; adiuuandi, vel supplendi, vel corrigendi iuris ciuilis gratia, propter publicam vtilitatem. Hæc prætorum Edicta, inspecta eorum origine, nec legis, nec iuris vim habebant, sed eorum tantùm auctoritate nitebantur, quia secundum ea ius dicerent; & nulla interposita, vel admissa appellatione eorum sententiæ in rem iudicatam transirent.

Sed quia Prætores iuris ciuilis rigorem & asperitatem reijcientes, semper præ oculis æquitatem habebant, & quod magis populo gratum, & iuxta omnium votum existimabant, in suis edictis proponebant, ideo eam paulatim apud populum vsurparunt authoritatem, vt eorum Edicta non modicam vim iuris obtinerent. Et hæc ab ipsis Prætoribus, vti prædictorum authoribus

IVS PRAETORIVM

appellabatur. Quod, si ad ius ciuile in specie sumptum referatur, ab eo specie differt, sed

sub

ſub eodem genericè accepto, vt propria eius ſpecies continetur, vt explicat Cuiacius: *in d. l. 7. de Iuſt. & Iure.*

Et quia hæc Edicta ab vno Prætore in album propoſita, vti Reipub. maximè expedientia, & vtilia, à ſucceſſoribus pluries repetebantur, & iterato in album transferebantur, in re tam vſitata ſatis eſſe ducentes Magiſtratus prædicti, ſi oſtenderent omnes anteceſſores ita ius dixiſſe, *vetusq́ Edictum & Tanſlatitium eſſe,* teſte Cicerone, *lib. 3. in Verrem.* Propterea hæc eadem Edicta

IVS HONORARIVM

appellare ſolebant, quia qui honores gerunt, id eſt Magiſtratus, authoritatem huic iuri dederunt, & toties transferendo atque approbando maximum ei honorem & authoritatem attribuerunt; tantumq́ue poſtmodum aucta fuit Prætorum authoritas, vt penes eos adeo omnis publici priuatiq́ue iuris poteſtas eſſet, vt nouum ius condere, & vetera abrogare facultatem vſu obtinerent. Quia tamen eorum erat

ANNALE IMPERIVM,

etiam Edicta, quæ ab ipſis emanabant, annalia erant.

Verùm, quia æmulationis ſtudio plerumque eueniebat, vt Edicta contraria proponerentur,

rentur, & hæc Edictorum inconstantia & mutabilitas, magnam daret licentiam Prætoribus, arbitratu suo quiduis decernendi, & statuendi: propterea Cornelius Balbus Tribunus Plebis, anno ab V. C. 686. legem tulit, vt nemine palam repugnante, sic multis inuitis, *vt Ius ex Edictis suis perpetuis dicerent Prætores*, atque ita multum authoritatis & gratiæ sustulit ambitiosis Prætoribus, qui ius variè & sæpè in aliquorum gratiam dicere solebãt. Ab eaque fortasse lege ansam arripuit *Saluius Iulianus Mediolanensis*, qui hæc omnia, quæ vnquam fuerunt Prætorum Edicta, cum vagè dispersa essent, in vnum collegit, & in ordinem digessit, ex quibus

EDICTVM PERPETVVM

composuit, & centum nonaginta libris est interpretatus, quibus, vt Edictis ipsis, authoritas legis data est, Senatusconsulto primùm, dum deinde etiam Adriani Imperatoris constitutione, vt Iustinianus ipse testatur. In l. 2. §. sed quia, c. de Vet. Iure enu. Cõnan. d. c. 15. num: 2.

Et quia vltra Prætores erat Romę alius Magistratus, qui

AEDILES CVRVLES

appellabantur, ab ædibus quibus præerant, & sella Curuli, qua vtebantur, dum in Senatum ibant: &

E O-

EORVM MVNVS

erat, vt ædes ſacras, publicaſque, & vias, & cloacas tuerentur, vt publicis ludis atque ſpe-ctaculis præeſſent, Annonam curarent, viderentque ne in venditione mancipiorum, in menſuris, & ponderibus fraus admitteretur. Ideo, vt omnibus innoteſceret, quemadmódum anno ſuo ius dicturi eſſent, de rebus ad eos pertinentibus, Prætorum exemplo, *Edicta proponebant, quæ Iuris Honorarij portio erat*, & eodem modo, quo illa Prætorum, vim Iuris obtinere cœperunt, cùm *ab eodem Saluio Iuliano in Edictum perpetuum collata*, ab Adriano Imperatore confirmata fuerunt. Quorum aliqua à Collectarijs Digeſtorum in Pandectas relata ſunt, vt patet ex tit. De ædilitio edicto.

Occupante demum Cæſare Patriæ libertatem,

LEX REGIA

de illius imperio lata eſt; qua Senatus & Populus ei, & in eum omne imperium ſuum, & poteſtatem contulit; licet per vim & metum Dionyſius id contigiſſe teſtetur. Conſtitutoque Principe *datum eſt ei ius, vt quod conſtituiſſet ratum eſſet, & quod ei placeret, legis haberet vigorem.* Quodcumque ergo Imperator per epiſtolam conſtituit, vel cognoſcens decre-

uit, vel edicto præcepit legem esse constat: & hinc emanarunt

PRINCIPVM CONSTITVTIONES

Quæ, primo à Theodosio, deinde à Iustiniano, in Theodosianum & Iustinianum Codicem, quo ad præsens vtimur, congestæ fuerunt.

His itaque legibus latis, super earum singulis, vt naturaliter euenire solet, interprætatio desiderabatur. Et à principio quidem post leges XII. tabularum

LEGVM INTERPRAETANDARVM POTESTAS

Apud Collegium Pontificum residebat: vt qui diuinitus instituti, & religionibus Deorum immortalium, & summæ Reipublicæ præessent, & in re dubia, tanquam diuinum oraculum congrua responsa darent. Qui augendæ potentiæ suæ causa, artem suam promulgare nolebant, sed apud se ius ciuile occultum retinebant, vt refert Pomponius, & mordaciter redarguit Cicero. Igitur populo tacitè assentiente,

PVBLICI IVRIS CIVILIS PROFESSORES,

Viri grauissimi esse cœperunt, & primus Titus Coruncanus fuit. Postea Sextus Papirius, qui leges Regias in vnum contulit, easdemque

que in publicum exhibuit. Tum Appius, deinde Claudius, qui leges XII. tabularum cõposuit. Symphorinus item, quem populus Romanus, Sophoni, id est, sapientem appellauit. Scipio etiam Nasica, qui Optimus à Senatu appellatus fuit, & cui publicè domus in sacra via data fuit, quò facilius consuli posset. His successerunt alij, omni ætate viri clarissimi, & apud Populum Romanum maximæ authoritatis, qui iuris scientiam publicè profitebantur, & consulentibus respondebant; ipsique Imperatores sua propria responsa postea, in eorum authoritate aliquando fundare non sunt dedignati, *Diuusq́; Augustus primus constituit, vt Iurisperiti ex illius authoritate de iure responderent.* Et tum demum sententiæ atque opiniones eorum

RESPONSA PRVDENTVM

nuncupari cœperunt; quæ eam authoritatem tenebant, vt iudici ab eis recedere non liceret, cum ita ab Augusto fuerit constitutum. Et primus fuit Masurius Sabinus, qui à Cæsare hoc de iure respondendi obtento beneficio, ex authoritate publica Principis, scripta responsa daret. Huic successit Caius Cassius Longinus: à quibus, eorum sectatores, Sabiniani, & Cassiani, appellati fuerunt, qui in ijs, quæ sibi ab illis tradita fuerant, satis

perseuerabant. Cùm ex altera parte Labeoni, qui ingenij acumine, & doctrinæ fiducia plurima innouare instituit, successerit Nerua, & huic deinde Proculus, à quo Proculeani, eorum sectatores appellati fuerint, qui circa nouas opiniones inuestigandas maximè versabantur, & Cassianis seu Sabinianis vt plurimum aduersabantur.

Itaque in ciuitate Romana, Imperatorum tempore, vltra communes ritus, qui diuturnis moribus præscripti, sine alia scriptura seruabantur, erant

SEX IVRIS SCRIPTI PARTES,

Lex scilicet, Plebiscitum, Senatusconsultũ, Magistratuum Edicta, Principum placita, Responsa Prudentum: de quibus suo loco dicemus.

Ex istis igitur sex iuris partibus vniuersum constat Romanum ius, quod nos *Corpus Ciuile* appellamus, ex quinque enim, constitutionibus Principum exceptis, conflata sunt, quinquaginta *Pandectarum Volumina*, quæ *Digesta* appellantur. Ex antiquorum verò Imperatorum constitutionibus, quinquaginta tantum à Iustiniano denuo additis, compositus est *Iustinianeus Codex*. Et ex nouissimis eiusdem Iustiniani conflatum est *Nouellarum*, seu vt vulgo dicitur, *Authenticorum* volumen.

Et

Et in Tyronum gratiam, pro clariori & faciliori Romani Iuris doctrina, ſic Iuſtiniano præcipiente, à Treboniano, Theophilo, & Dorotheo, compoſitus eſt *Inſtitutionum Liber* in quatuor deinceps partiales libros diuiſus. Quorum primi:

TITVLVS PRIMVS, *De Iuſtitia & Iure.*

QVoniam ſuperius in Acceſſu ad Iuris vtriuſque cognitionem, Iuris & Iuſtitiæ naturam ſufficienter expoſuimus, ideo in explicatione huius, atque ſequentis tituli, quibus notitia æqui boniq́ue ſimpliciter & per ſe conſideratur, breuiores erimus, ne crambem eandem repetere videamur. Quæ igitur bruta animalia faciunt incitatione naturali, ea ſi homines ratione faciant, iure naturali faciunt, hocq́ue ipſum *Ius naturale* dicitur, vt liberorum procreatio atque educatio; ſui defenſio & iniuriarum repulſio; rerum ad conſeruationem vitæ aut valetudinis neceſſariarũ appetitio. Quæ verò bruta non faciunt, ea ſi omnes homines ratione faciant, iure gentium faciunt, illudq́ue ipſum naturalis æquitas, & naturalis ratio, ſeu *Ius Gentium* nuncupatur, quia omnibus hominibus ex æquo inter ipſos competit, &

ſponte naturæ, ſine vlla inſtutione exoritur, vt honeſta & laudabilia appetere, turpia & probroſa vitare; iuſta & bona facere, iniuſta & iniqua fugere; non admittere in alium, quod in te admitti nolis, & ſimilia. Quæ denique non omnes homines faciunt, ſed quædam hominum congregata in vnum locum multitudo, vtilitatis publicę cauſa facit, ea demum iure ciuili faciunt, illudque ipſum *Ius Ciuile* vocatur, quod nimirum quiſque populus ipſe ſibi conſtituit, & eſt quaſi ius proprium ipſius ciuitatis, vt ius Athenienſium, ius Romanorum, ius Corinthiorum.

Iuſtitia igitur eſt, immutabilis, & ratione naturali gubernata voluntas, obtemperandi iuri, tam naturali, quam communi omnibus gentibus, quàm etiam proprio ſuæ ciuitatis. Et *Iuriſprudentia eſt ars diſtinguendi iuſtum ab iniuſto, per ſingulos rerum, factorum, & euentuum articulos, in perplexis legum & rationum momentis.*

Summa autem æqui bonique capita, quo omnium officia virtutum referuntur, ſunt numero tria: *Honeſte viuere*, ſeipſum ad rationis normam componendo. *Alterum non lædere,* iniurijs & maleficijs abſtinendo. *Suum cuiq; tribuere,* æquitatem in contractibus colendo, fidem & induſtriam in commiſſo munere exhibendo, conferendoque demum operam

peram ac facultates ad tutelam societatis ciuilis. Primum hominem priuatim format. Secundum delicta vetat. Tertium rectè facta exigit, pro religione officij quod quisque sustinet.

Ex his itaque Iuris positionibus, quia vnumquemque & priuatim bonum, & publicê vtilem esse oportet, ideo ius quoque ipsum, quo actiones nostræ regulari debent, duplex erit: *Publicum aliud*, quod ad salutem regimenque totius Reipub. spectat. Et *aliud priuatum*, quod ad singularem vtilitatem pertinet.

TITVLVS II.

De Iure Naturali, Gentium, & Ciuili.

IVs naturale est, communis naturæ instinctus, quo bruta etiam animalia moderantur, vt cibum appetere, prolem procreare, vim vi repellere.

Ius gentium est, insita animis hominum notitia de honesto & turpi, bono & malo, iusto & iniquo.

Ius verò ciuile est, quod ad vsum suæ ciuitatis populus aliquis constituit. Quemadmodum itaque Ius naturale ad omnes animantes pertinet: ita ius gentium, ad omnes homines; & ius ciuile ad omnes incolas vnius Reipublicæ.

Et quia quælibet Respub. partim suo proprio, partim communi omnium hominum iure vtitur, propterea ius gentium, seu commune, tacito quodam fœdere Respub. & gentes inter se coniungere censentur: ex eo enim necessitatibus exigentibus, per quandam ratiocinationem processerunt, dominiorum distinctio, commerciorum institutio, regnorum maiestas, iurisdictionis auctoritas, bellorum licentia, & consequentia seruitutum.

Naturalia itaque Iura, quæ apud omnes gentes peræquè obseruantur, vocantur *Primæuum ius gentium*, & sunt semper firma atq; immutabilia. At *posterius illud siue Secundarium*, quod ipsum sibi quæq; ciuitas constituit, sæpè mutari solet, vel tacito consensu populi, vel alia postea lege lata.

Suntq; Iuris ciuilis (Romani præsertim) scripti, sex species. Nam non scriptum alias *Consuetudo* vocatur: Illud expresso Legis latoris iussu semel constituitur: Istud tacito populi consensu, per antiquam & vniformem obseruationem collecto, paulatim inualescit. Illud partim legibus constat, partim interpretatione legum. Istud frequentia actuum, cum ratione congruentium, & semper vniformium.

Leges

Leges aut ſtatuit vnus, cuius regimen vocatur *Monarchia*, & ſic natæ ſunt *conſtitutiones & placita Principum*: aut plures, nempe Optimates, quorum regimen vocatur *Ariſtocratia* & ſic proceſſerunt *Senatus conſulta* varia: aut denique omnes, per magiſtratus à ſe conſtitutos, quod regimen vocatur *Democratia*, & ſic ortum ſuum habent *Plebiſcita*. Et hæ propriè dicuntur eſſe leges primariæ: quæ verò ad earum interpretationem accedunt, ſecundariæ ſunt, qualia ſunt *Edicta Prætorum* & *Reſponſa Prudentum*. Ex quibus collige, legem nihil aliud eſſe, quam ſupremæ poteſtatis decretum, iubentis aliquid, permittentis, vel vetantis, ad ordinandum ciuitatis ſtatum, vel ciuium mores, vel eorum res & negotia, publicatũ & ſancitũ. Attendẽdo tamen ad Iura Romana, quæ explicamus, propriè

Lex eſt, quod populus Romanus Senatorio Magiſtratu interrogante, veluti Conſule, inſtituebat.

Plebiſcitũ eſt, quod plebs plebeio magiſtratu interrogante, veluti Tribuno, conſtituebat.

Senatusconſultum, quod Senatus iubet, atque conſtituit.

Prætorum Edicta, ſunt ordinationes, quæ à Magiſtratibus proponebatur ſui officij tempore duraturæ. Quæ à ſucceſſoribus in albũ

trans-

translatæ, paulatim vim Iuris habere cæperunt, & postea à Saluio Iuliano in vnum collectæ, ab Adriano Imperatore pro legibus confirmatæ.

Principum Placita sunt, generales Imperatorum constitutiones: vel etiam particularia responsa super alicuius dubij iuris interpretatione reddita. Leges enim interpretari, vti rem solo imperio dignam sibi soli reseruarunt, cum ea tempestate ipsis tantum leges condere liberum esset.

Responsa Prudentum, antiquitus erant Pontificum, & aliorum iuris peritorum receptæ interpretationes. Post Cæsares verò sunt sententiæ & opiniones eorum, quibus permissum erat de iure respondere.

TITVLVS III.
De Iure Personarum.

SVperioribus duobus titulis, causam Iurisprudentiæ, & generalem Iuris considerationem, quasique Prœmium legum absoluimus. Præsenti verò titulo ipsam legum substantiam, sui Iuris constitutionem aggredimur: quæ partim *circa personas*, partim *circa res* versatur.

Secundum itaque Ius gentium, omnes *homines aut liberi sunt, aut serui. Libertas est*, naturalis

turalis facultas faciendi id, quod cuique libet, quatenus nec iure, nec vi impeditur.

Seruitus est constitutio Iuris Gentium, qua quis dominio alieno cōtra naturā subijcitur.

Hinc *sciendum*, leges non derogare libertati, quibus hominum vita in ordinem redigitur, quia cum recta ratione congruunt. Licet enim natura homini liberum arbitrium dederit, rationis attamen in illud imperium non abstulit; quandoquidem ex sapientiæ decreto, vera libertas continetur mentis & rationis imperio in animum: extra illud verò cupiditatum tyrannidi seruit. Similiter & Politica libertas in eo consistit, vt ius & leges, non verò liberum Principis arbitrium dominetur.

Serui autem dicuntur, non quod seruiant dominis, sed quod seruentur capti in bello, & non occidantur. Qui etiam mancipia vocantur, eo quod ab hostibus manu capiantur. Fiunt autem dupliciter serui, aut *Iure Gentium* aut *Iure Ciuili*. Iure Gentium, *vel nascendi sorte*, puta ex ancillis in seruitute constitutis; *vel captiuitate in bello*, non per viam, à prædonibus aut piratis, quia ab his capti, non fiunt serui, sed vi coacti seruiunt; in bellis verò ius spectatur magis, quàm vis hostilis, ac propterea liber qui in potestatem hostis

redigitur, fit seruus. Iure autē ciuili *seruus fit, cum seipsum quis vendi patitur*, maior annis viginti, vt partem pretij habeat.

In seruorum itaque conditione, nulla est differentia, nisi fortè ministerij: quod alij dicantur *Actores*, quibus & rerum & administrationis summa committitur; alij *Procuratores* quibus supellex & cellaria concreditur; alij *Dispensatores*, qui cæteris seruis dementum distribuunt: alij *Silentiarij*, qui in reliquos tempore mensæ, silentij custodes vindicesq́; esse solent: alij *Vicarij*, qui vulgaris & infimi ministerij sunt, vt topiarij, pastores, saltuarj, hostiarij, dietarij, aquarij, &c. alij *Ordinarij serui*, qui in peculio suo, & quasi sub imperio habebant prædictos Vicarios cum suis peculijs: alij denique *Mediastini*, qui habebāt curam sartorum tectorum, &c. &c.

In liberis autem hominibus multæ sunt differentiæ, aut enim sunt *ingenui*, aut *libertini*; aut *sui iuris*, aut *alieni*; aut *in dominica potestate*, aut *in patria* constituti, de quibus singillatim.

TITVLVS IV.

De Ingenuis.

VBi legitimum matrimonium est, ibi soboles paterna, non materna condition censer

censetur: atque nobilitas propterea à patre deriuatur, quamuis mater ignobilis sit, non à matre, quæ viro ignobili iuncta, amittit nobilitatis prærogatiuam. Quia igitur cum seruo legitimum matrimonium esse non potest, ideo qui inde natus est, certum patrem habere non censetur, sed sequitur conditionem matris, quę incerta esse non potest. Hinc *Ingenuus dicitur quasi ingenitam libertatem habens*, est enim qui ex libera matre natus est. Nã si mater, non tantùm tempore partus, aut conceptionis, sed si intermedio tantùm tempore libera fuit, ingenuum parit. E contra, qui genitus est ab ea, quæ ex quo prægnans esse cœpit, semper serua, etiam partus tempore erat, ingenuus esse non potest.

Cæterum quia seruum esse, & in seruitute esse, diuersa omnino sunt, nam vno proprietas, altero possessio significatur: ideo non officit ei, qui ingenuus natus est, in seruitute fuisse, & postea manumissum esse, quia veritati, & origini ingenuitatis omnium Doctorum opinione, manumissio quocunque modo facta, non præiudicat.

TITVLVS V.

De Libertinis.

L*ibertini sunt*, quos seruitute liberauit benigna

nigna dominorum voluntas : quod vocamus *manumissionem*, qua scilicet seruus emittitur ex domini manu, id est potestate.

Manumissio autem varijs modis contingit. *Vel testamento* & vltima voluntate, qua dominus seruum libertate donat : *vel epistola*, qua dominus hanc libertatem suam seruo significat : *vel adhibendo seruum conuiuio*, & coram amicis libertatem dando : *vel in templo* : *vel coram Prætore*, qui festucam seruo inijciebat, quæ vocatur vindicta, eumq; alapâ percussum circum agebat : quo ritu libertas adumbrabatur, secundum quam quocumq; se conuertere seruo liceret. Prætor autem huic negotio auctoritatem suam præstare potest, etiam dum ambulat, aut domi sedet.

Forma denique manumissionis supradictæ, non eiusdem semper vigoris erat; sed alia plenam libertatem præstabat, vt vindicta & testamentum : alia verò, tanquam minus solennis, minus plenam, ita vt ea manumissi vinculo adhuc aliquo dominis obstringerentur. Vnde libertinorum non vna sors erat : quidam namque ciues Romani, & quidam Latini tantùm, nonnulli verò postremę conditionis Dedititij nuncupabantur. Et hi erant, qui in seruitutem ob flagitium compediti, vel stigmate inusti, aut Magistratui

oblati

oblati fuerant. Sed hæc Iustinianus abrogauit, omnesque libertinos non modò inter se, sed & cum ingenuis exæquando, ciuitate Romana donauit.

TITVLVS VI.

Qui, & ex quibus causis manumittere non possunt.

DVabus legibus manumittendi facultas restricta est, *Prima*, quæ hoc titulo explicatur, *Lex Aelia Sentia* vocatur. *Altera*, *Lex Fusia Caninia*, quæ sequenti. Et illa quidem duo capita complectitur: quorum priore impeditur manumissio in fraudem creditorum facta, quando scilicet manumittentis bona, per serui dimissionem diminuuntur, nec sufficiunt ad exsolutionem æris alieni. Altero, interdicitur minori viginti annis manumissio serui, nisi ad eam se moueri causa aliqua pietatis, vel vtilitatis suæ in iudicio ostenderit. Iustinianus hoc relaxauit: & priusquã quis decimumoctauum annum attigisset, testamento seruis libertatẽ dare permisit, quod nimirum decimoquarto anno habeat potestatẽ disponere de toto patrimonio in testamento: vnde non videtur arcendus esse à danda libertate, fauorabiliore quippe reliquis rebus. Nam cui licet quod plus est, ei non debet negari quod minus est.

TITVLVS VII.

De Lege Fusia Caninia tollenda.

RESTringebatur quoque manumissio Lege Fusia, quæ certum numerum præfiniuerat, vltra quẽ testator manumittere non posset; semper enim effusior solet esse morientium liberalitas in rebus quas relinquunt, ideo moderanda erat, ne nimia vbique manumissione splendor ciuium inquinaretur mixtura & colluuie libertinorum, præsertim cum ditiores complures seruos habuissent, & sæpissimê millenos. Hinc Fl. Vopiscus in vita Taciti, *Seruos*, ait, *omnes vrbanos manumisit vtriusque sexus: intra centum tamen, ne Caniniam transire videretur.* Sed cum Iustiniani tempore, imminuto splendore ac iure Ciuiũ Romanorum, imminutus quoq; esset & seruorũ numerus; ideò legem hanc abrogauit, absurdum existimans, cùm nullus esset modus finitus manumittendi seruos inter viuos, eum præfiniri vltimæ voluntati, cuius maior est fauor & libertas. Hinc regula ducta est.

Quicquid conceditur inter viuos, multò magis concedendum esse in vltimis voluntatibus.

TITVLVS VIII.

De his qui ſui, vel alieni iuris ſunt.

EXpoſita prima iuris perſonarum diuiſione, quæ eſt Iuris Gentium, ſequitur altera quæ videri poteſt eſſe Iuris Ciuilis. Nam quidam homines *ſui Iuris* ſunt, quidam verò *alieno Iuri ſubiecti*: Rurſus qui alieno Iuri ſubiecti ſunt, aut ſunt *in poteſtate parentum*, aut *in poteſtate dominorum*:

Et quidem dominica poteſtas vſq; ad arbitrium vitę & necis in ſeruum *Iure Gentium* extenditur, tanquam qui captus Iure belli ſtatim occidi potuiſſet, etiam ex interuallo poſſit. Sed *Iure Ciuili* hoc temperatum eſt, vt etiam homicidii teneatur dominus, qui ſeruum occiderit extra cauſam, ob quam alium fas eſſet occidere. Quia eo ipſo quo quis captiuū miniſterio ſeruauit, tranſegiſſe de Iure belli videtur: & ceſſante conflictus ardore, ceſſat quoque ius illud belli in defenſione vel vltione fundatum, & præualetius naturale, quod ſeruum pro homine habet, & homicidiū damnat. Appoſitè Seneca: *Cùm in ſeruum omnia liceant, eſt aliquid quod in homine licere cōmune ius animantiū vetet. de clemen*: 18. Ideò ex cōſtitutione Imp: Antonini, ſi dominus æquo aſperiùs ſeruum tractat, cogitur auctoritate

Iudicis à seruo implorati, eum alteri vendere. Nam quamuis priuatorum res non sint in dominio Principis, sunt tamen sub eius imperio, atque ideò vsum earum regere potest, & coërcere abusũ, præsertim qui spectet ad damnum Reipub. & honestatis, vt in proposito.

Nota, quod ab anno 1250. seruitus penes Christianos, etiam captiuorum, desiit in vsu esse, quamuis disciplinæ Christianæ non omnino sit repugnans, præsertim si clemens & moderata fuisset.

TITVLVS IX.

De Patriâ potestate.

PAtria potestas est, *ius parentum in liberos à natura ipsa datum.* Quo enim iure parentibus educationem & institutionem liberorum natura mandauit, eodem regimen quoq; & imperium in ipsos concessit. Vnde olim ius vitæ & necis pater in liberos habebat: nunc meritò mutatum, quia patria potestas in pietate, non in atrocitate debet consistere. Sed vtitur Iuris Ciuilis prærogatiua, potestq; *Primò*, vendere suum filium in casu necessitatis. *Secundò*, potest pro eodem impubere, vel furioso testari, substituendo videlicet ei pupillariter, vel exemplariter. *Tertiò*, non potest vocari in iudicium à filio sine licentia.

Quartò

Quartò, non poteſt filius ſine patris licentia, niſi iam emancipatus, cum aliis in iudicio eſſe. *Quintò*, quidquid acquirit filius, patri acquirit: ſed hoc iam Principum conſtitutionibus temperatum eſt, vt infra de Peculio dicemus, quia parentes liberis potiùs acquirere, quàm liberos parentibus, lege naturæ oportet. Vſumfructum tamen in bonis ſuorũ liberorum parentes habent, quod & in Polonia noſtra Vladiſlaus Iagello obſeruari iuſſit, vt videre eſt in Statuto Herborti, ſub titulo, *Materna bona.*

TITVLVS X.

De Nuptiis.

NVptiæ ſunt, *viri & mulieris coniunctio ad indiuiduam vitæ conſuetudinem.* id eſt, ad conſortium proſperæ & aduerſæ fortunæ, & ad conuictum perpetuum: qua ſanè animi deſtinatione, tanquam propriâ notâ, à concubinatu diſtinguuntur, qui corporis potiùs, quàm animi eſt coniunctio: Nuptiarum verò, conſenſus eſt perfectio & forma, non corporalis coniunctio; quæ ideò dicuntur *Coniugium*, à iugo, quo par vnum ad mutuam fidem, caſtitatem, & auxilium deuincit. At nomen *Connubij* & *nuptiarum* à ritu priſco manauit, quo ſponſa caput nubebat, id eſt velabat, in

bat, in symbolum pudoris & subiectionis. Nam diuino & humano iure subiecta est vxor imperio mariti: quæ tertia domesticæ potestatis est species, reliquis tamen moderatior. *Matrimonium* autem dicitur, quia hoc voto mulier nubit, vt mater fiat: præcipuus enim finis est procreandorum causa liberorum, quæ olim solemnis formula erat in tabulis nuptialibus.

Triplex autem consensus requiritur ad matrimonium. Primò eorum qui matrimonio iunguntur. Secundò eorum in quorum sunt potestate. Tertiò deniq; Iuris.

Quod ad primum attinet, quoniam consensus incapaces sunt impuberes, ideò ad nuptias non nisi puberes admittuntur, anno scilicet ætatis 14. mares: fæminæ 12. si vigor geniture prçuertit, ne alioqui in vagas libidines effundantur; vel quoties matrimonium pacis stabilimentum est, vt inter Principes & Dynastas.

Quod ad secundum: *& naturali ratione* requiritur ad nuptias consensus eorum, in quorum potestate sponsus & spōsa existunt, quia ipsa natura parentibus deferendum honorē dictat, qui potissimum in obtemperando ipsis cernitur: *& ciuili ratione*, quia iniquum sit inuitis parentibus suum hçredem obtrudere

& incon-

& inconſulto amore, atq; impari matrimonio imminuere familiæ dignitatem. Hinc ius diuinum quoque parentum auctoritatē exigens, liberos quidem qui contra eam, ſine cauſa, ineunt nuptias, obſtringit peccato.

Quod verò ad Iuris cōſenſum attinet: prohibentur nuptiæ inter conſanguineos, tàm iure naturali, quàm ciuili, quàm etiam Pontificio. *Et quidem natura damnat* innata verecundia ſua inter parentes liberoſq́;, quantocumque gradu etiam diſiunctos, coniunctionem, quæ *neſaria.* dicitur, quia contra fas naturæ eſt, cuius ordo turbatur, confuſis pietatis nominibus, & violata reuerētia ſanguinis. Et hæc quidem vtraq; *linea*, *aſcendentium*, dico, *& deſcendentium*, vocatur *Recta*. Eſt & tertia, quæ *tranſuerſa* dicitur, vbi primum gradū tenet frater & ſoror, inter quos ſimiliter ipſa natura coniunctionem damnat, Iure Canonico approbante. Etſi D. Thomas exiſtimet tantùm Iuris poſitiui hanc prohibitionē eſſe. *Iure verò ciuili* ex fratre vel ſorore genitis coniungi prohibemur: nam cum patruus & amita loco parentum ſint, propemodum contra fas naturæ illa coniunctio eſt, & propriè *Inceſta* dicitur. Pari modo eundemq; in gradum prohibentur nuptiæ ratione affinitatis, quæ nihil eſt aliud, quàm neceſſitudo intercedens

cum coniugis cognatis, matrimonii ſocietate eos inuicem cōmunicante, adeò vt quo gradu & genere quiſque coniugi tuo cognatus eſt, eodem tibi affinis exiſtat. At verò inter cognatos hinc vxoris inde viri affinitas non exiſtit. Aliud quoq; impedimentum oritur ex *cognatione legali*, quæ ſcilicet per adoptionem contrahitur, propter pudorem & vinculum ciuile, in tantum, vt etiam diſſoluta adoptione, idem iuris maneat. Simile affinitatis eſt illud, quod *publicæ honeſtatis impedimentum* appellatur: nam vt hæc à nuptiis, ita illud à ſponſalibus exiſtit, vel matrimonio non conſumato, & pertingit pariter ad quartum gradum. *Iure demum Pontificio*, non tantùm ex nuptiarum ſocietate, ſed & ex cōfuſione ſanguinis per illicitum concubitum, dummodo non violentum, affinitas oritur. Vnde quemadmodum defunctæ vxoris tuæ, ita & à te vitiatæ ſororem ducere vxorem vetaris. Sed & aliud impedimentum eſt *à cognatione myſtica* inter baptiſatum eiuſq; parentes, & baptiſantem, vel eos qui de ſacro fonte ſuſceperunt. Idem cōtingit per ſacram Confirmationem: adeò vt hoc impedimētum etiam dirimat nuptias per confirmatum eiuſq; parentes, & patrinos aut matrinos contractas. Vnde ſi pater ipſe patrinus fiat filii ſui, ſeparandus ab

vxore eſt

vxore est. aliud, si in necessitate baptisauerit filium. *c. ad limina. 30. q. 1.* Prohibitiones autem istæ idcirco à iure sancitæ sunt, vt plura necessitudinum genera, charitatem generis humani continuarent, diuersis familiis per nuptias coniunctis: quæ si permissæ inter cognatos essent, intra naturæ limites beneuolentiæ fœdera arctarentur, cùm illæ sæpissimè familiam non egrederentur, conciliante illecebrâ & propinquitatis, & ab ineunte ætate familiaritatis.

Quod si vitio aliquo de impedimentis supradictis laborat matrimonium, ne nomen quidem suum tuetur, quia nec vir, nec vxor, nec nuptiæ, nec matrimonium, nec dos intelligitur: & liberi qui inde nascuntur, illegitimi sunt, inq́; triplici statu gradatim deteriore reponuntur. Vel enim *naturales* sunt, id est geniti ex amicâ assumptâ in concubinatum, & coniugalis conuictus imaginem, & vocantur propriè *nothi.* Vel suscepti ex meretrice perpetuæ fornicationi destinata, & vocantur *spurÿ.* Vel deniq; nati sunt ex incesto aut adulterio, & vocantur deteriore cognomine *hybridæ.* Et hi quidem posteriores nusquam natalibus restituebantur antiquitus, nunc verò nulla adhibetur diligentia in examinãda origine legitimandorum, sed cõmuniter oblatis

muneribus aut precio fiunt legitimi Principum fauore & indulgentia.

Tripliciter attamen de iure contingit nothos natalibus restitui. Per subsequens matrimonium: Per rescriptum Principis: & per oblationem Curiæ.

Per subsequens matrimonium dicimus legitimationem fieri, si quis postea matrimonium contraxerit cum muliere ex qua sobolem illegitimam susceperat; quia ex insecuto matrimonio, benigna æquitate Iuris, præsumitur affectu coniugali vsurpatam ante mulierē fuisse, vel certè antè nata soboles causam dedit matrimonio: vnde iniquū esset, sobolem quæ deinceps nascitur, quasi solam legitimā, excludere ab hæreditate antê natam, quippè cui acceptum ferre debet statum suum. *l. 10. C. de naturalib.*

Per rescriptum Principis lègitimatio procedit, quando Principis gratia impetratur, quācunq; maculam natalium abolentis.

Per oblationem Curiæ, olim legitimandi forma in vsu erat, cùm filius naturalis dabatur ad ministeria Curiæ, quæ plurimi honesti declinabant; sed præcipuè offerebatur illis aut potius iniungebatur exactio tributorum, vbi cogebantur sæpissimè onera tenuiorum supplere. Et ob eam causam prohibebatur iis

alienatio

alienatio prædiorũ, si quæ possidebant, sed quasi obsidum loco erant, ne subterfugerent ministeria Curiæ. At hoc totum iam exoleuit, sæpiusque nothi legitimantur à Principibus, munere aliquo oblato, aut in ministerio diutius existentes. In Polonia tamen nullo supradicto modo legitimantur, sed semper illegitimi manent, nec ad mæchanicas artes vllas, aut sacerdotia admittuntur, quod alibi vsitatissimum vidimus.

TITVLVS XI.

De Adoptionibus.

POtestatis patriæ duæ sunt species: altera *Adrogatio*, altera *Adoptio* dicitur. Illa Principis authoritate, eos qui sunt sui iuris adrogamus: Hac verò in alterius potestate existẽtes imperio magistratus adoptamus. Ratio distinguendi est, quod Adoptio minore cautione atque auctoritate indigeat, cùm dirigatur consilio & potestate patris natiui, qui in Adrogatione ferè deficit, ideoque Principis, tanquam communis parentis, interuentu opus est.

Adoptio itaque quæ est simulacrum quoddam procreationis liberorum, *est legis actio, per quam in ius & locum liberorum nobis eligimus ex aliis genitos.*

Et quia

Et quia ars naturā debet imitari, ideò exigitur ratio ætatis inter adoptantem & adoptatum, quasi inter genitorem & natum: nemoq; adoptare aliquem potest, nisi quem antecedit ætate 18. annorum. Eadem ratione & castratus, vt nuptias contrahere, sic etiam adoptare prohibetur, quia adoptio in his tantùm personis locum habet, in quibus etiam natura potest habere. Vnde per consequens & fæminæ adoptare prohibentur, quod potissimum adoptio pertineat ad acquirendam patriam potestatem, cuius incapaces sunt fæminæ. Indulgentia attamen Principis adoptare possunt in solatium filiorum amissorū.

Discrimen inter adoptionem factam ab extraneo, & quouis ascendentiū istud est, quod patria potestas non transeat in patrem adoptati, nec de bonis eius quidquam transit ad patrem adoptiuum, quod bene valet in auo materno adoptante, aut aliquo alio ex parentibus adoptati existente, quia in hoc casu cōcurrunt in vnam personam, & naturalia, & adoptionis iura.

Quod si verò seruus à domino adoptatus, vel apud acta filius nominatus fuerit, eo ipso libertatem extemplò nanciscitur.

TITV-

TITVLVS XII.

Quibus modis Ius patriæ potestatis soluitur.

SEx modos dissoluendæ patriæ potestatis hoc titulo tractat, cùm antea constituendę tres specificè modos exposuisset, nuptias videlicet, legitimationem & adoptionem.

Primus itaq; modus dissoluendæ patriæ potestatis est, *naturalis mors parentis*: nisi tamen agatur de auo, qui mortis tempore nepotes, cum patre ipsorum, in potestate sua habebat: mors enim patris filios non liberat, si superest liberis auus, in cuius potestate erat, siquidem hoc casu patria potestas, penes auum fuit, non penes patrem, qui cum in potestate alterius ipse esset, alios in potestate habere non potuit.

Secundus modus est, ciuilis mors patris vel liberorum, scilicet deportatio, & seruitus pænæ; non item verò relegatio. Nam deportationis pænâ eximitur quis in perpetuum de ciuitate, id est numero & iure ciuium: vnde consequenter amittit ea, quæ Iuris ciuilis sunt, veluti est potestatis huius vis. Tales sunt qui in Germania appellantur banniti, in Polonia, infames seu proscripti: nam & tecto illos recipere nefas, & offendere in bonis aut corpore impune est. Relegatio verò tantùm ex oppido aut

pido aut prouinciâ expellit, aut certo loco vel insulâ concludit damnatos, saluo Iure ciuitatis. Serui demum pænæ efficiuntur, qui ad laborandum in effodiendis metallis, vel ad triremes condemnantur. Porrò in aliud opus publicum damnati, ciuitatem, non verò libertatem perdunt.

Tertius modus est, captiuitas: quæ non tàm soluit, quàm suspendit patriam potestatem, idq́; propter *postliminium*. Quod nihil est aliud, quàm Ius, quo homines, vel res hostium potestate liberatæ, pristino statui restituuntur. Et quemadmodum lex Cornelia apud hostes quandoque morientem, fingit initio mortuum; ita Postliminium personam vel rem quandoque ex hostibus reuersam fingit nunquam ibi fuisse.

Quartus modus, amplissima filij dignitas: quod absurdum sit, eum esse in potestate priuatâ, qui publicâ potestate Rempub. administrat. Planè ordo sacer non dissoluit patriam potestatem, nisi quod ad eius exercitionem attinet: excepto Episcopatu. *Auth: sed Episcopalis. C. de Episcop.*

Quintus modus est adoptio. quia filius nō potest esse in potestate duorum patrum, sed permittente patre naturali, transit in potestatem adrogantis.

Sextus deniq; modus est, emancipatio: quæ ita filium potestate patris liberat, quemadmodum manumissio seruum potestate domini. Quare hodie solemnitatum ambagibus sublatis, sola professione patris apud Magistratũ filius fit emancipatus: quinimò sola concessione ducendi vxorem assequitur libertatem; atque ipso accessu ad vigesimum quintũ ætatis annum.

Quamuis autem inuitus pater emancipare liberos non cogitur, tribus attamen casibus compelli eum ad emancipandum authores dicunt. *Primò*, Si eos crudeliter tractet: hoc enim casu etiam seruus inuiti domini euadit potestatem. *Secundò*, si eos ad peccandum compellat: indignum enim se imperio reddit, qui eo non ad formandum vtitur, sed ad corrumpendum abutitur. *Tertiò*, si sibi accepit, quod filio erat testamento alicuius relictum, sub conditione emancipandi liberos; cogitur enim implere fidem. Porrò vicissim filius inuitus non emancipatur. *Nou.* 89. *Paul.* 2. *Sent*: 25.

TITVLVS XIII.

De Tutelis.

POstquam exposuisset de iis qui in alienã potestate sunt; sequitur deinceps tractare

de iis, *qui sui Iuris sunt.* qui *partim sub Tutelâ viuunt, partim in curatione, partim sui arbitrij existunt omnimodò,* Vt igitur æditui dicuntur; qui ædes tuentur: sic tutores, qui pupillum defendunt: *Tutelâ* enim *dicta* est *à tuendo,* & definitur à Iustiniano, *Vis ac potestas in capite libero, ad tuendum eum, qui propter ætatem seipsum defendere nequit, iure ciuili* (hoc est Lege XII. Tab.) *data ac permissa.* Per quam definitionẽ potestas Tutoris, non tantùm à reliquis speciebus potestatis, patria videlicet atq; herili, distinguitur, sed & à curatione. Nam tutor ad regimen personæ impuberis, cum bonis suis; curator verò ad administrationem patrimonii & negotiorũ iam adulti ad 25. ætatis annum vsque, principaliter constituuntur.

Est autem *triplex Tutela. Testamentaria,* quæ ex Iuris permissu, patris testamento ordinatur. *Legitima,* quæ legis prouidentiâ committitur proximis pupilli cognatis. Et *Datiua,* quæ, in defectum cæterarum, officio Magistratus mandatur, tanquam legis viuæ & animatæ.

Si quis igitur filiis tutores dedit, pertinebit id & ad filias (quia sæpê pronunciatio sermonis in sexu masculino pertinet ad vtrumq; sexum) & ad posthumos quoque, (quia is qui in vtero est, pro nato habetur, cùm de commodo

modo eius agitur)nō etiam ad nepotes, cûm tutor certo consilio & destinata voluntate liberis assignandus sit: nepotes verò secundi gradus liberi sunt, non primi; nisi fortè seorsim à patre fuerint in potestate aui: aliâs reciderent in potestatem patris. Qui ijs demum, quos in potestate habet, designare tutorem potest; non etiam emancipatis, quibus datus tutor Magistratus authoritate confirmabitur, supplente defectū potestatis patriæ. § *vlt. h. t.*

TITVLVS XIV.

Qui testamento tutores dari possunt.

POtest autem tutor constitui etiam filiusfamilias, quamuis ipse sit in potestate alterius. Potest & seruus, legata ei libertate: quod magistratus tamen facere non potest, quia non habet potestatem in res alienas, sicut testator in suas. Vnde seruus alienus simpliciter & sine conditione libertatis tutor datus, nullius est momenti, nisi redimatur à domino & libertate donetur: quia non est nouum, vt testator etiam de rebus alienis disponat, obligetq; hæredem eas redimere. § 5. *infra de legib.*

Furiosus quoque, vel minor 25. annis Tutor dari potest: nam intelligitur tacita conditio vel dies inesse, si ille ad sanitatem, vel

cùm iste ad 25. annos peruenerint. Potest enim datio Tutoris finiri tempore: siue vt certo die incipiat primùm Tutor esse; siue vt certo die desinat: interea autem alius à magistratu substituetur, quia quamdiu spes est tutelæ testamentariæ, cessat legitima. Idem iuris est, si palam tutor sub conditione datus est: id enim testatori permittitur, non etiam Magistratui. Verumenimuero ad partem vnam administrationis, vel patrimonij inutiliter tutor datur; quia personæ, non causæ aut rei tutor datur. Potest tamen testator in plures tutores administrationem diuidere, patrimonio pluribus locis diffuso, vel nouâ accessione aucto.

TITVLVS XV.

De legitima agnatorum tutela.

QVodsi verò testator liberis tutores non dedit, lex 12. tab. proximos eorũ agnatos, vel vnum, vel plures gradu pares ad tutelam vocat. Sed etsi testamento quidem datus est tutor, sed is mortuus est ante patremfamilias, vel simul cum eo, adhuc locus erit tutelæ legitimæ, quia res ad effectum non peruenit. Intestatus enim dicitur non ille solum modo qui omninò testamentum non condidit, sed etiam ille qui condito testamento nihil in eo

hil in eo diſpoſuit de tutela liberorum, aut nihil inde in re ſecutum eſt.

Itaque agnati tantùm modò ad tutelę onus olim vocabantur, quia ad illos quoque pertinebat fortuna ſucceſſionis, quod videlicet per maſculinam ſtirpem proximam nobis coniungerentur: ſed hodie etiam cognati, qui per fœminam nobis ſunt coniuncti, promiſcuè ad tutelas vocantur, quod iura cognationis magis communione ſanguinis, quàm cognominis æſtimanda ſint: hoc enim ciuile, illud naturale eſt; iam autem præualere debet ius naturale, velut immutabile, non utique ciuile, quod corrumpi poteſt.

TITVLVS XVI.

De capitis diminutione.

CApitis diminutio *eſt prioris ſtatus commutatio*, hoc amiſſio libertatis, vel ciuitatis, vel familiæ. Nam qui ex ordine Senatorio, vel Equeſtri, vel Iudicum, vel aduocatorum remouetur, non dicitur capite minui, ſed tantùm dignitate, illa autem tria capiti & vitæ proxima ſunt, & ideo amiſſa dicuntur *Capitis Diminutio*, ſiue *Maxima* libertate cum ſeruitute mutatâ: ſiue *Media* iure ciuitatis per exilium amiſſo: ſiue *Minima*, mutatâ familiâ per adoptionem.

Quæcunq; autem ex his species, tollit ius agnationis, & consequenter à tutelâ legitimâ olim remouebat. Cognationis verò ius tantùm per mediam & maximam capitis diminutionem tollitur.

TITVLVS XVII.

De legitimâ Patronorum tutelâ.

EX ratione Legis 12. Tab. quæ tutelas adgnatis idcirco defert, quia hæredes ab intestato sunt, inductum est, vt patroni libertorum suorum tutelam susciperent, quæ ideo legitima dicitur, *l. 3. D. de legit. tutor.* æquum enim est eos pupillum tueri, ne bona eius dilapidentur, qui & ad eius successionem venirent, si præmoreretur, & ab illo colerentur, si superuixisset. Iam autem secundùm naturam est, ad eum spectare incōmoda, ad quem spectat & emolumentum.

TITVLVS XVIII.

De legitimâ parentum tutelâ.

EXemplo patronorum producta est lex 12 tab. ad parentes, vt scilicet tutores sint ipso iure filij quem impuberem emancipauerint. Quæ sanè tutela, vel lege, vel interpretatione, vel moribus inducta, legitima quoq; appellatur.

TITV-

TITVLVS XIX.

De Fiduciaria tutelâ.

FIlijfamilias à patre manumiſſi, ipſe pater tutor eſt legitimus, vt titulo ſuperiore diximus, eo verò defuncto, in tutelam impuberis fratris, ſuccedit frater, ſi eſt maior annis 25. & dicitur tutor Fiduciarius. Non idem eſt, ſi teſtamento datus fuerit tutor à patre: quia teſtamentaria tutela ſemper legitimam excludit, *l. 9. § 1. ff. de tutel. & ration.* Alioqui quamuis magiſtratus duobus pupillis fratribus dederit tutores, & vnus ad legitimam ætatem peruenerit: is alterius tutelam in ſe transferet. *d. l. 9. § 1.*

TITVLVS XX.

De Attiliano Tutore,
Et eo qui ex lege Iuliâ & Titiâ dabatur.

SI quinque ſpecies tutelæ ſupra memoratæ pupillos deficiant, ea ſupereſt quæ *Datiua* appellatur. Poteſtas autem dandi tutores ijs demum Magiſtratibus competit, quibus ſpecialiter à Principe, lege vel SC. eſt attributa.

TITVLVS XXI.

De Auctoritate Tutorum.

AVthoritatis verbum quidam ab αὐτός deducunt, quo veteres ratam alicuius pote-

statem significabant, & sine h scribunt. Auctoritas igitur tutoris nihil est aliud quàm *consensus atq; approbatio negotiis pupilli à tutore adhibita*. Non valet autem hæc auctoritas, si post tempus, aut per epistolam adhibetur: debet enim tutor statim præsens in ipso negotio auctor fieri. § *5. h. t. l. 9. § 5. ff. eod.*

Quod si tutoris auctoritas talis non interuenit negotio pupilli, non potest ex eo obligari pupillus, quia deest in eo fundamentum obligationis, scilicet animi iudicium & consensus. *l. 189. ff. de reg: Iur.* Planè si pupillus alium sibi obligauit, veluti paciscendo cum creditore suo, ne is ab ipso peteret: id valebit. *d.* § 1. nam quod in fauorem alicuius constitutum est, non debet ad damnum eius extendi; quod sanè in proposito contingeret, si pupillus non posset conditionem suam facere meliorem etiam sine tutoris auctoritate, quę ideo à lege desideratur, ne ille sua imprudentia incurrat in damnum. Attamen in hæreditate suscipiendâ indistinctè tutoris auctoritas necessaria: siue quod hæc res tam magni momenti sit, siue quod vix hæreditas obtingit absq; aliqua obligatione adeuntis.

Porrò in contractibus, in quibus vtrinque oritur obligatio, veluti in emptione, venditione, pupillus alterum sibi obligabit, ipsi vicissim

cissim non obligandus. *d.* § *1. l. 13.* § *27. ff. de auct. emp.* hoc enim pupillo indulgetur, vt ne quidem in illicitis eius dolus præsumatur aut culpa, ne dicam in obligationibus, in quibus tamen ex doctrina Clarissimi I C. Diodori Tuldeni, tenetur naturaliter, si ex culpâ commisit; ciuiliter verò, si ex dolo, præsertim si pubertati proximus est, aut doli capax. At actionibus in rem indistinctè pupillus adstringitur. *Costal: ad l. 1. ff. Commod.*

Cæterum quia tutor in sua causa auctor esse, non magis quam testis aut iudex potest, ideo si litem cum pupillo habeat, in eam ipsi substituetur curator. & proinde nec contrahere cum pupillo tutor poterit: nec debitorem aut creditorem, fieri tutorem iura permittunt.

TITVLVS XXII.

Quibus modis tutela finitur.

TVtela quia ad certa negotia non datur, sed ad regimen personæ impuberis propriè pertinet, ideò suâ naturâ extenditur vsque ad pubertatem pupilli. Finitur attamen varias ob causas hisce vndecim modis, *Primò*, pubertate pupilli, quæ *alia est simplex*, incipiens in masculo à 14. anno expleto; in fæmina verò à 12. *alia plena* à 17. vt sup. in vtroque: &

alia plenissima à 18. vt supra. *Secundò*. Adrogatione, quia in patriam potestatem redactus incapax est tutelę. *Tertiò*. Deportatione. *Quartò*. Seruitute. *Quintò*. Captiuitate pupilli, vel pupillæ. *Sextò*. Morte pupillorum, vel tutorum. *Septimò*. Capitis diminutione. *Octauò*. Euentu temporis, si cui videlicet testamento tutela mandetur in triennium, vel quamdiu patruus peregrinetur: triennio itaque elapso, vel patruo pupilli reuerso, desinet esse tutor. *Nonò*. Euentu conditionis, si tutor detur duraturus donec conditio adiecta perficiatur. *Decimò*. Remotione tutoris suspecti. *Vltimò*. Excusatione ipsius tutoris.

NOTA, antiquo iure mulieres in perpetua tutela fuisse, non quidem eorum qui negotia earum gererent, sed quorum auctoritate egerent: nec ante sui iuris euadebant, quàm in manum viri conuenissent, aut Virgines Vestales captæ essent. Quod etiamnum obseruatur in Polonia.

TITVLVS XXIII.

De Curatoribus.

CVra *est potestas in capite libero ad curandum bona eius, qui per iudicium ea curare nequit.* Iudicij autem defectus in negotijs peragendis semper præsumitur ante 25. annum. Vnde

minor

minor ætas respectu ipsius iudicij admittit probationem in contrarium: pupillaris non item, cum ex se pateat.

Curatores partim *datiui* sunt, partim *legitimi*: at testamēto non dantur. Nam quòd tutor testamento datur, id contingit ex permissu legis 12. tab. quæ tantùm de tutella loquitur. Ideoq; circa curatoris dationem, auctoritate Iuris destituitur voluntas testatoris: ex æquitate tamen confirmanda decreto Magistratus.

Differunt autem Tutor & Curator multis modis. Et *primò* quidem quia tutor datur impuberi, Curator minori 25. annis. *Secundò*, quia ille primariò datur personæ, secundariò rebus: hic verò è contra, rebus primariò, deinceps personæ. *Tertiò*, quia habenti tutorem non datur alius tutor, habenti verò curatorem datur alius curator aliquando. *Quartò*, quia tutelam interdum cogitur quis subire; curam non item. *Quintò*, quia ille præstat authoritatem, hic consensum tantùm. *Sextò*, ille passim datur in testamento, & aliquando confirmatione non eget: hic non item, sed semper eget illa. *Septimò*, Pater cogitur esse tutor filij sui impuberis ab ipso emancipati: curator autem eiusdem minoris non item. *Vltimò*, quia pupillus cogitur esse sub tutore:

minor non item sub curatore, nisi testamentario.

Nota, hodie passim moribus inualuisse, vt maritus vxoris suæ legitimus sit curator, quamuis à curatione hac iure Romano arcebatur.

Nota Secundo, Curatorem posse dari. *Primò pupillo*, tutore eiusdem legitimè impedito. *Secundò* minori. quamuis nolenti, si sit testamentarius. *Tertiò*, Mente capto, licèt maiori. *Quartò*, prodigo, qui nec largiendi nec absumendi modum tenet. *Quintò*, furioso, dum est in furore.

Nota Tertio, habenti tutorem dari quandoque alium tutorem varias ob causas. *Primò*, si primus tutor fiat surdus ad tempus, aut mutus. *Secundò*, donec de causa suspicionis primi videatur. *Tertiò*, donec primus stat regulatus. *Quartò*, si primus se ab administratione bonorũ in alia prouincia existentium excuset. *Quintò*, si primus se simpliciter ad tempus excuset. *Vltimò*, si primus absit Reipublicæ causa.

TITVLVS XXIV.

De satisdatione tutorum vel curatorum.

A Quibus tutoribus vel curatoribus exigatur satisdatio, & à quibus non: itemque quis co-

quis eorum à quibus non exigitur, administraturus sit, titulo præsenti explicat.

Satisdare igitur *est rem pupilli saluam fore:* de quo integer libro 46. Pandectorum est titulus 6. Et *Satisdatio* siue *Cautio* id dicitur, *cum eum cui à nobis debetur aliquid, vel deberi poterit, de eo consequendo securum reddimus, vel per nudam promissionem, vel per dationem pignoris aut fideiussoris.* Et quia commune est tutoribus atq; curatoribus fideiusiores præstare, qui pro ipsis spondeant, seq; obligent, ad reparandũ damnum, si quod patrimonio pupilli euenerit culpâ tutoris; ideo ad implendum id compelli possunt à Magistratu, ablato ex bonis eorum pignore: quod si nihilominus non satisdent, remouentur vt suspecti. *l. 2. C. eod.*

Sed *testamentarius tutor non tenetur satisdare,* quia fides eius & diligentia ab ipso testatore adprobata est. *Similiter & datiuus à magistratu maiore*, quia idoneus electus est, facta de eius facultatibus & moribus inquisitione. Aliud est, si simpliciter ad petitionem, vel etiam ex inquisitione à minore magistratu datus fuerit. Ita vt contra eum non exigentem satisdationem, vel in idoneos fideiussores admittentem, *actio Subsidiaria.* Nam satisdationis finis est, vt si tutores peruersè administrauerint, neq; soluendo sint, pupillus in de-

lus indemnitatem à fideiussoribus consequatur, si autem in eam nec horum facultates sufficiunt, vltimum ipsi refugium est in actione aduersus magistratum (puta municipalem siue minorem) qui inidoneos fideiussores admisit, vel etiam nullos, contra iuris ordinem, à tutore exegit. Tutor autem postquam satisdedit, rem pupilli saluam fore, & iurauit se ex officio omnia ad pupilli vtilitatem facturum, administrationē aggredietur, non subitariò, sed facto coram Iudice inuentario, rebusq; pupilli omnibus mobilibus & immobilibus descriptis, cum æstimatione eorum. Quod si hæc facere neglexerit, contra eum, tamquam in dolo hærentem, in litem iurabitur super eo quod interest: non & contra hæredes. Vnde & legitimus agnatus, vel frater tutor constitutus satisdare tenetur: non item patronus, aut pater, quia pro vinculo satisdationis cedit fides patroni, & affectus naturalis parentis.

Debet autem Magistratus procurare, vt administratio sit penes vnum ex pluribus tutoribus, illum scilicet quem vel testator designauerit, vel maior pars tutorum eliget, vel in eorum dissensu ipse Magistratus constituet, aut administrationem diuidet: nam plures ad administrationem admissi, sæpè dissensi-

diſſenſione aut æmulatione ſe inuicem impediunt; ſæpè etiam mutuâ præſumptione & fiduciâ opera alterius omnes ceſſant. Reliquorum itaque tutorum officium erit, administrantem monere, conſilio inſtruere, actũ eius obſeruare, rationes inſpicere: & ſi fraudem vel negligentiam deprehenderint, poſtulare in iudicio vt remoueatur. Quod ſi neglexerint, periculum ad ipſos redundabit, ſi is qui adminiſtrauit non eſt ſoluendo. Plures autem tutores ſimul adminiſtrantes ſinguli in ſolidum tenentur.

Si verò creditor debitori pupillo tutor obtigit, caueat ne ſponte bonorum adminiſtrationi ſe ingerat, alioqui actione priuabitur, *authent. minoris C. qui dari tut.* niſi proximi ſanguinis neceſſitudo, aut teſtatoris iudiciũ, cum creditorem eſſe ſcientis quem tutorem aut curatorem conſtituit, præſumptionem calliditatis fraudiſque excluſerint. *authen. ad hæc. quando mul. tut. off. Coraſ. cent. 1. c. 60. ex SC.*

Ex his igitur, quæ diximus *colligitur ſatisdationem* tutorum, partim ab obiecto ad iudicia pertinente, partim à cauſa formali communi contractibus & tutelis, *eſſe quadruplicem*, aliam *fideiuſſoriam*, acceſſoriam adſtipulationem: aliam *pignoratitiam*, aliam *iuratoriam*: & aliam pro

pro qualitate personarum, nuda voluntate *interpositam.*

Et iuramentum sanè *est assertio, vel negatio de aliquo possibili, licito & honesto sacræ rei attestatione firmata.* Quæ est duplex, necessaria & voluntaria.

Necessarium seu iudiciale iuramẽtum est, vel de calumnia, & *credulitatis* dicitur; vel veritatis, & dicitur *decisiuum litis*, vel æstimationis, & *affectionale* appellatur.

Voluntarium verò seu extraiudiciale iuramentum est, vel assertorium, vel promissorium, vel confirmatorium, vel enunciatiuum tantùm.

Tria autem ad iuramentum comitantia requiruntur. Veritas, iustitia, & iudicium ipsius iurantis. Verba verò expressa non necessariò requiruntur, sicut nec rei corporalis tactus ad validitatem iuramenti.

Et qui factum alienũ cum iuramento promittit, non obligatur ea obligatione, quę aliâs ex promissione facti proprij oriretur; sed alia, ad faciendum videlicet quantum in se est, vt is, pro quo promisit, ipsum impleat promissum. *Hieronymus Lampugnanus Introduct. cap: 3. 9, 24.*

Titv-

TITVLVS XXV.

De excuſatione tutorum, vel curatorum.

QVemadmodum quis cogi poteſt ad Magiſtratum, aut officium Reipub: ſuſcipiendum, etiam carceribus *Viuius dec*: *144*. ita neceſſariò tutelæ officium ſubire tenetur, qui vel à magiſtratu, vel à lege, vel à teſtatore, tutor conſtitutus eſt: quia tutela non iure amicitiæ, ſed eius conſortij, quod inter ciues eſt, defertur veluti ciuile munus, quod nemo deprecari poteſt, niſi qui immunitatem habet: cuius variæ cauſæ numero 15. hoc titulo recenſentur, quæ partim ad animum, partim ad corpus, partim ad fortunam ſpectant.

Et quidem *prima cauſa eſt*, Inimicitiæ capitales inter patrem pupilli & tutorem. *Secunda*, ſenectus tutoris ſeu ætas 70. annorum. *Tertia*, militia Eccleſiaſtica: hodie tamen Clericus eget licentia ſuorum ſuperiorum alibi, in Polonia verò non. *Quarta*, ignorantia litterarum. *Quinta*, lis inter pupillum & tutorem. *Sexta*, præfectura vigilium aut militum excubantium contra hoſtes aſſiduè. *Septima*, paupertas cogens quotidianis operis victum quærere. *Octaua*, perpetua infirmitas tutoris. *Nona*, adminiſtratio trium tutelarum vel curarum ſimul: quarum nume-

rus

rus ex numero patrimoniorum, non pupillorum desumitur. *Decima*, absentia Reipub. causa: reuersus attamen tenetur veterem tutelam reassumere, nouam verò subire post annum tantùm. *Vndecima*, Familiæ onus, nempe si quis habet tres liberos Romæ, vel in Italia quatuor, vel in Prouincijs quinque: quod tamen apud nos in Polonia non obseruatur. *Duodecima*, professio publica scientiæ alicuius, excepta Iurisprudentia; nisi sit in consilium Principis assumptus. *Tredecima*, administratio rerum fiscalium vel ærarij Principis. *Quatuordecima*, Militia Reipub. ne scilicet milites à bellicis exercitijs auocentur. *Vltimò*, tutela iam expleta circa vnum pupillum potest se quis excusare à cura eiusdem facti puberis.

Ad allegandam autem excusationem dantur tutori 50. dies, continuo computandi ab eo die quo se tutorem cõstitutum cognouit: si modò intra centesimum milliare habitat: nam si longius distat, plus temporis ad iter conficiendũ insumet, ita tamen vt intra quatuor menses iudicium de propositis ab illo excusationibus finiatur. Quæ si falsæ aut iniustæ fuerint, tunc pupillo ad emendam tenebitur: & si se administrationi immiscuit, tunc causam proponere non poterit.

TITVLVS XXVI.

De suspectis Tutoribus, vel Curatoribus.

LEx 12. tab: iussit tutorem suspectum corã Magistratu conuinci, & ab officio remoueri. Suspectus autem est, non tantùm qui perperam administrat, sed & cuius indoles vel vita coniecturam præbet malæ administrationis. Vnde tutor magis ex moribus, debitor verò & fideiussor, aut hæres magis ex facultatibus æstimãtur. Ac propterea *Primò* ille tutor aut curator dicitur esse suspectus, qui data pecunia suscepit tutelam. *Secundò*, qui non præstat alimenta pupillo, vel simpliciter, vel asserens mendacio pupillum esse inopem. *Tertiò*, qui non fecit inuentarium. *Quartò*, qui non defendit pupillum vel minorem à lite, aut persona. *Quintò*, qui est vitiosus, scortator, aleator aut potator immodicus. *Sextò*, qui dolum ob auaritiam, vel culpam ob negligentiam commisit.

Remotus itaq; *ob dolum*, punitur amissione honoris, fitq; infamis infamia à iure irrogata: qui verò *ob culpam* tantùm remouetur, id est ob imperitiam vel negligentiam, retinet honorem saluum. Quia *dolus est* fraudulens machinatio alterius decipiendi causa facta: & quia voluntatis vitio constat, ideo infamia

notatur. *Culpa verò est* priuatio rectitudinis moralis in actu positiuo, vel negatiuo, qua læsio alteri illata est, præter tamen sic operãtis intentionem. quæ triplex est. Alia *lata*, ignorantis quod omnes scire tenentur. Alia *leuis*, ignorantis, quod diligens paterfamilias scire tenetur. Et alia *leuissima*, ignorãtis quod diligentissimus paterfamilias scire tenetur.

Suspectum igitur tutorem vel curatorem quilibet postulare potest, etiam mulier, si honesto affectu erga pupillum mouetur, non importunâ inuerecundiâ incitatur. Adeoq; & tutor vt suspectus remotus, potest contutores suos suspectos postulare, vt tantò magis infida sit societas malorum: præsertim cùm magis scire possit fraudes quarum particeps fuit. Sed ipsi pupillo hæc accusatio non permittitur: neq; enim illi credendum est, si de eius moribus iudicare velit, cui regendus ipse commissus est: maximè ob imbecillitatem iudicij. Adultis verò, & iam iudicio aliquo præditis, & regimine illo exsolutis, permittitur accusatio: sed ita demum si approbatur ex sententia propinquorum.

Finita tandem tutela datur pupillo: *Primò*, actio tutelæ directa simpliciter: eius verò hæredibus directa vtilis. Tutori autem datur contraria simpliciter: eius verò hæredibus

vtilis

vtilis contraria. *Secundò*, datur actio ex stipulatu tacita. *Tertiò*, actio hypothecaria. *Quartò*, negotiorum gestorum, tum directa, tum contraria.

Secundùm igitur differentiam iam dictã, hoc iudicium *vel ciuile* dicitur, cùm tantùm remotio: *vel criminale*, si præterea pæna postulatur. *Bart: in l. 1. § 1. ff. h. t.*

Finis Libri Primi.

INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS LIBER SECVNDVS.

TITVLVS I.

De rerum diuisione, & acquirendo ipsarum Dominio.

TRansgreditur hoc secundo Libro Imperator ad alterum Iuris obiectum, videlicet res ipsas, de quibus ius personis dicitur. Rerum autem duplex est causa, de qua quæri & ius dici solet, nempe dominia, & obligati-

ones. De dominiis itaque primo loco tractatur, tum quia natura priora sunt, tum quia ex dominijs & obligationes, & actiones oriuntur, veluti effectus ex causa.

Res itaq; est id, quod habet esse ordinatum ad hominis immediatam vtilitatem. Diuiditurque multifariam secundum diuersas considerationes eius.

Et *Primò* quidem *res aut sunt corporales*, quæ videlicet sui natura tangi possunt, vt vestis, lapis, &c. *aut incorporales*, quæ in iure tantùm consistunt, vt vsus, seruitutes. &c.

Secundò, res aut sunt in nostro commercio, vt nostra vestis, aut extra nostrum commercium, vt res sacra.

Tertiò, res aut communes sunt iure naturali, vt mare, áër: aut publicæ, vt flumina; aut vniuersitatis, vt theatra & fora: aut nullius, vt res sacræ: aut priuatorum, quæ ex varijs caussis cuiq; acquiruntur, *vel de Iure Gentium*, *vel de Iure Ciuili*: idque vel titulo particulari, vel titulo vniuersali, vt infra latius patebit.

Quartò, res omnes aut seruiunt, aut non seruiunt, & liberè à possessoribus sine vlla obligatione alteri præstanda possidentur.

Quintò & vltimò, res aliæ diuini Iuris sunt, & aliæ iuris humani. *Res diuini iuris* sunt partim *sacræ*, vt templa & aræ: partim *religiosæ*, vt monaste-

monaſteria & monumenta mortuorum: partim *ſancta*, vt mænia & portæ vrbium. Sacræ dicuntur, quia adhibitis ceremonijs per Antiſtites ſeu Pontifices cultui diuino dedicantur. Religioſæ dicuntur, à relinquẽdo, quod eas in vſus profanos conuerti non liceat, ſed ſint relictæ ad vſum pium & quaſi diuinum. Sanctæ dicuntur, quod ſanctione legum peculiari aduerſus iniurias hominum ſint munitæ: Qua ratione etiam legati ſancti dicuntur, quia omnium gentium arcano fædere etiam inter hoſtes tuti ſunt & pacati, tanquã pacis & fæderum conciliatores. *Res verò humani iuris* diſtinguũtur *in publicas* quę ad multitudinem: *& priuatas* quæ ad ſingulos ſpectant, vel quæ in ſingulorum ſunt dominio.

Dominium autem *eſt ius quo res cuiuſq; propria eſt*: Vnde & proprietas appellatur. Siue, *dominium eſt plena & legitima in rem poteſtas, diſponendi ſcilicet de eâ arbitratu ſuo.*

Acquirimus autem hoc dominium rerum, *partim iure Gentiũ, partim iure Ciuili.* Et quod de priuatis rebus non vnius Reipub. lege, aut more, ſed plurium conſenſu gentium obſeruatur, id ius gentium eſſe dicimus: quod verô vnaquæque ciuitas aut Reſp. de rebus ciuium ſuorum ſanxit, id ius ciuile rectè dici putamus.

Primus itaq; *acquirendi modus Iure Gentium*, in rebus quæ nullius sunt. *Occupatio*, id est apprehensio rei ex earum numero, quas in naturali communione relictas diximus. Quod enim nullius est, & alicuius esse potest, id naturalis æquitas concedendũ dictat occupanti, quia malignitatis esset, impedire vtilitatem alicuius, quæ sine vlla cuiuspiam iacturâ contingit.

Sub hoc autem generali modo occupationis, continentur eius variæ species, veluti *venatio*, *piscatio*, *aucupium*, *præda belli*, *inuentio lapillorum*, & *thesauri*.

Et *venatio* quidem est prima species occupationis, qua feræ bestiæ in nullius dominio positæ occupanti acquiruntur, etiam in agro alterius, (nisi is ingredientem prohibuerit venatorem) quia hominis dominatui ab auctore naturæ Deo destinatæ & subiectę sunt. Hodie tamen passim venationem sibi Principes reseruant, priuatis eam interdicendo. Vnde etiam ad reparanda damna tenentur venatores, qui feras insectando fruges conculcant. *Couar: ad Reg: Peccatum. par:2. § 8. n. 11.*

Similiter *Piscatio* hodie ad paucos redigitur, quæ olim iure naturali communis omnibus fuit.

Aucupium attamen liberius paulò exercetur, quia

tur, quia áër in quo volucres degunt, communis est vbique. Diuersum verò in piscibus, qui non áëre cōmuni, sed aqua aliena continentur, vnde eius pars sunt.

Præda verò belli similis est venationi, vbi ea quæ excursibus paucorum solum hostile aut itinera infestantium parātur, singulis cedunt militibus. At quæ communi conflictu per exercitum acquiruntur, arbitrio Ducis, partim in ærarium publicum rediguntur, partim pro merito aut dignitate cuiusq; diuiduntur. Interdum verò in prædā & direptionem militibus permittuntur.

Inuentio quoq; gēmarum & preciosorum lapillorum in littore, eiusdem conditionis est vt & mare, vnde coallescunt. Quodsi verò tale quid vnus prior quidem inspexerit, & alter præuenerit apprehendendo; huius erit non illius; etsi enim ille inuenisse videtur, qui oculis deprehendit, tamen occupatio impletur manibus apprehendendo, non oculis deprehendendo. Quemadmodum autem occupando rem communem, eam facimus propriam: ita deserendo propriam, eam facimus communem, ita vt cedat occupanti: si scilicet eam abijcimus animo à nobis abdicandi. Vnde aliud est circa merces quæ in tempestate, exonerandæ nauis causa, iactari solent:

non enim ideò eas iactamus, quod eas nolimus in patrimonio nostro esse, sed vt reliqua seruemus, atque vitam ipsam.

Ad res pro derelicto habitas proximè accedit *Thesaurus*, qui definitur pecunia ante memoriam hominum recõdita. Vnde non erit thesaurus, si constet à quorum maioribus sit reconditus. Etenim ad thesauri naturam non sola temporis vetustas sufficit, sed simul requiritur, vt ignoretur, quis recondiderit: tunc enim perinde est, ac si dominum non habeat. Igitur thesaurus cedit inueniẽti: cum distinctione tamen, primò loci, deinde modi quo inuenitur: nam in proprio loco inuentus, totus est inuentoris: in alieno verò fundo inuẽtus, siue religioso ac sacro, siue fiscali vel publico, cum domino eius diuidendus est.

Secundus modus acquirendi Iure Gentium est Accessio. id est acquisitio rei vnius ad rem alteram accedentis, èx vi solius adiunctionis: quæ est duplex: Naturalis & Industrialis.

Naturalis alia est concreta, vt Alluuio, quæ est incrementũ latens, quo fluuius ripas proximas prædio alicuius auget, ab ijs aliorsum flectendo cursum suum: vel etiam terram ac glebam appellendo, quam vicini prædio abradit. *Alia discreta*, vt Colluuio, quando fit insula in mari, aut fluuio. *Et fœtus animalium*, qui ex

qui ex brutis tuo dominio ſubiectis naſcuntur. Quod itaq; per alluuionem agro tuo (occupatorio ſubaudi vel artificiali: nam ſecus ſe habet in agris limitatis, aut aſſignatis, aut quæſtorijs, aſſignatis, diuiſis, limitatis, redditis, commutatis, ſubſeciuis, & centuriatis) flumen adiecit, iure gentium tibi acquiritur. Quod autem per colluuionem enaſcitur, id ſi in mari accidit, occupantis fit; ita tamen, vt qui occuparunt ſubſint iuriſdictioni & imperio eius, qui id iam pridem in id mare ſuo territorio adiacens vſurpat: ſi verò in flumine, tum ſi in medio eſt, communis erit eorum, qui ab vtraq; parte fluminis propè ripam prędia poſſident: ſi verò alteri proximior eſt parti, tum eius, aut eorum erit, qui ab ea parte prope ripam prædia poſſident.

Induſtrialis itidem quoq; *alia eſt diſcreta*, vt ſola fructuũ perceptio, ſeu vtilitas ex re proueniens. *alia concreta* in ſpecies complures diuiſa, vt eſt ſpecificatio, mixtio, confuſio, ſuffultura, conflatio, pictura, inædificatio, inſcriptio, & ſatio.

Quantum ad fructum. *Fructus* apud Grammaticos à ferendo dicitur: & ſignificat omne id, quicquid fundus aut corpus aliquod profert renaſciturum. Hic autem fructus ſignificat, id lucrum quod ſupereſt deductis expenſis, quæ

sis, quæ fiunt in fructibus quærendis, colligẽdis, & seruandis. Hinc vulgata fructuum diuisio sequitur, in Naturales, Industriales, & Ciuiles. *Naturales fructus sunt*, qui sponte naturæ, & tanquam gratuito eius munere, citra hominis laborem proueniunt, vt arborũ pratorumq; prouentus. *Industriales fructus sunt*, quos scilicet industria hominis à naturâ vel promeretur, vel extorquet, vt sunt frumenta, frugesq́; *Ciuiles, deniq́; fructus sunt*, qui non ex rebus nascuntur, sed ex iure eius connexo, vel ex obligatione earum proueniunt, vt locatarum rerum mercedes. Iterumq́ue *fructus alij sunt Pendentes, alij Percepti.* Pendentes dicuntur, qui adhuc fundo cohærent. Percepti dicuntur; quàmprimum à solo separati sunt, etsi nondum in horreum reconditi, quos aliquando & Percipiendos vocant: siue de vsufructuario, siue de bonæ fidei possessore, siue de colono agatur. Igitur pendentes seu exstantes fructus, à quocunq; possessore restituendi sunt vnà cum re principali, tanquã eius accessio, quia pars fundi sunt, quando Prætor hæreditatem restituere iubet. Percepti verò & consumpti non item, quia mobilibus annumerantur, quæ bonæ fidei possessor lucratur. At malæ fidei possessor omnes omnino fructus cogitur restituere: exstantes quidem vindica-

vindicatione, consumptos autem condictione, etiamsi non est ijs locupletatus. *l. malæ. C. de condic. ex leg.* quia quicunque malæ fidei possessor dicitur *Prædo*. Si quid tamen bona fide expendit, potest ex illis fructibus deducere impensas pro cultura & cura, idq; vtiles tantum & necessarias; quia æquitas non patitur possessorem vniuersalem cum cuiusque damno & iniuria locupletari, etiã voluptuarijs impensis, si illi sunt profuturæ, nec rei pristinum statum læsuræ: quæ tamen per actionem nunquam repetentur, nisi à bonæ fidei possessore.

Hinc sciendum, *triplices esse impensas*: Necessarias, Vtiles, & Voluptuarias.

Necessariæ sunt, quæ fiunt pro conseruatione rei simpliciter, & absque quibus res interitura, aut deterior futura est, vt ædificiorum fultura & refectio, vt ripæ fundo proximæ munitio, vt in locum demortuarum arborũ aliarum submissio, &c.

Vtiles sunt, quæ fiunt pro melioratione tantùm eiusdem rei, aut quę reditum rei augent, vt oliueta, arbusta, pastina instituere, &c.

Voluptuariæ sunt, quæ fiunt quidem pro aliquo ornamento ipsius rei, principaliter tamen fiunt causa tantùm ostentationis ipsius expendentis, vt picturæ, incrustationes, aquę salien-

ſalientes, balnea, viridaria, lauri, platani, cupreſſi, &c.

Quantum verò ad induſtrialis acceſſionis ſpecies concretas attinet, *Prima* inter eas eſt *Specificatio*, qua vnum totum in aliud eſſentialiter mutatur; habetque ſimilitudinem cum generatione Phyſica, vt ſi ex tua vua faciam vinum. & tunc, ſi bona fide feci, putans eſſe vuam meam, vinum mihi acquiritur: teneor tamen, vel illud tibi dare, ſoluta mihi impenſa & opera, vel valorem tuæ vuæ tibi ſoluere, aut tantundem vuæ tibi tradere. Si verò mala fide feci, tunc vinum fit tuum, nulla etiam mihi impenſa operavé ſoluta.

Secunda eſt Mixtio, qua aliqua tota diuerſi generis accidentaliter mutantur in tertium totum, vt ſi ex tuo vino & meo melle faciam mulſum: tunc quia ſeparatio fieri nequit, petet quiſque pro ratâ ſuæ portionis, ita vt ratio habeatur ingredientiæ pretioſioris, ſi eius nō vult fieri dominus in toto.

Tertia Confuſio, qua aliqua tota eiuſdem generis, tertium totum, eiuſdem etiam generis per accidens conſtituunt, vt ſi meum vinum Romanum cum tuo Vincentino confundam: tum dic vt ſupra.

Quarta Suffultura, qua vnius materia ad veſtimenta pertinens, ſubmiſſa materię alterius pertinen-

pertinentis etiam, in eam ſic tranſit, vt eandē cum illa concipiatur habere exiſtentiam, vt ſi tuam purpuram meo holoſerico ſupponā: tūc dic, vt ſupra proportionaliter diſcurrēdo.

Quinta conſlatio, qua totum aliquod, in aliud totum mutatur, ſecundùm accidētia tantùm extrinſeca, vt ſi ex tuo argento faciā vas, ſeu ſchyphum: aut ex tuis arboribus nauem tum ſi ſpecies reſolui poteſt in priſtinam materiam, tum ea à te vindicari poterit; ſi non, tunc materia cedet formæ, cuius potentia vincitur.

Sexta Pictura ſeu ſcriptura: tum id quod tuę chartę ab altero inſcriptum eſt, erit tuum: quod verò pictum in tabula tua, cedet pictori, præſtantia namq; artis ad ſe trahit vtilitatē tabulæ. Interdum & ad ſcripturam eadem pariter præſtantia pertinet, ſi vel litteræ aureę ſint, vel excellentis ingenij opus.

Septima Inædificatio, qua domus in alieno fundo conſtructa in ipſummet fundum tranſit. Porrò cùm quis ex alienâ materiâ in ſuo ſtruit ædificium, eius quidem efficitur dominus, quia materiæ dominus eam repetere & recuperare prohibetur, ne ruinis vrbs deformetur: & naturali ratione ſuperficies cedit ſolo. Verumtamen actione *de tigno iniuncto* æſtimationem materiæ in duplum conſequitur dominus.

Vltima

Vltima Satio atq; Plantatio, qua res vnius ad agriculturam pertinens, in rem alterius coalescit, vt alterius planta tuo fundo insita, postquâm eum radicibus comprehendit, tua fiat. Idem iuris & de frugibus est, si in tuo fundo seminauerim.

Tertius acquirendi dominij modus idemq; communissimus est, Traditio. cùm scilicet dominus possessionem rei suæ eo animo in aliquem, transfert, vt ipsum efficiat dominũ. Ad quod requiritur *Primò Potestas*, nẽpe vt traditio fiat à domino: quia nemo potest plus iuris in alium transferre, quam ipse habet. *Secundò*, *causa* efficax ad trãsferendum dominium, veluti emptio, venditio: absque eâ enim non constat de voluntate domini & certa scientia. Hincque *tertiò* requiritur *voluntas domini*, sine qua non sufficit à procuratore rem tradi, nisi de domini voluntate expressa vel tacitâ tradatur, aliâs nesciretur sitné donatio, an depositum, an verò mutuum? *Vltimò* requiritur *translatio rei* in apprehendentem, quæ in rebus mobilibus contingit cum manu prendũtur, in immobilibus verò, cùm in possessionem earũ quis inducitur. Etenim citra hanc apprehensionem, non trãsfert dominium sola causa seu conuentio. v. g. emptio venditio *l. 20. C. de Pact.* adeò vt re duobus venditâ, ille eius

le eius efficiatur dominus, cui priùs est tradita; non is cum quo priùs de emptione est cõuentum. *l. C. de R. V.* Vt autem traditio venditæ rei dominium transferat in emptorem, necesse est ex lege 12. tab: ab eo exsolutum esse precium; vel certè venditori satisdatum, eumuè fide emptoris acquisiuisse. § *34. h. t.*

Vltimus acquirendi dominij modus Iure Gentiũ est nuda voluntas domini, quæ sufficit ad rem transferendam, interdum etiam sine traditione: veluti si rem quam tibi aliquis commodauerit, aut locauerit, aut apud te deposuerit, postea verò eam aut vendiderit tibi, aut donauerit, aut dotis nomine dederit. &c.

TITVLVS II.

De rebus corporalibus, & incorporalibus.

SEcunda rerum diuisio à substantia earum hoc titulo ponitur, cuius nos mentionem titulo præcedenti fecimus, quod nimirum *rerum aliæ corporales* sint, *aliæ incorporales*.

Corporalium verò rerum, quædam dicuntur esse *mobilia*, quæ moueri de loco possunt, vt vestis, nauis. quædam *immobilia*, quæ terræ cohærent, vnde & *res soli* dicuntur, veluti prędia & domus.

Mobilia item alia dicuntur *preciosiora*. quæ quanti-

quantitate non censentur sed specie, vt vasa argentea, vel ærea; alia *vilıora*, quæ illa censentur, & pondere, numero, atq; mensura cōstant, vt res ad victum pertinentes.

Incorporalia autem dicũtur esse iura, quæ etsi propriè nec mobilium, nec immobilium genere continentur, attamen adnumerantur immobilibus, quibus cohærent, veluti hæreditas, vsusfructus, & obligationes quoquo modo contractæ: Sicut & iura prædiorum, tam vrbanorum, quàm rusticorum, quæ etiam seruitutes vocantur.

TITVLVS III.

De seruitutibus rusticorum & vrbanorum prædiorum.

IN numero incorporaliũ est *Seruitus*, quæ *quadrupliciter diuiditur*. Nam alia est *Personalis*, qua persona seruit personæ: & de hac dictum est superius *lib. 1. tit*: 3. alia *Semipersonalis*, qua persona seruit rei: alia *realis*, qua res vnius seruit rei alterius: quæ dicitur prædialis, vel rustica, vel vrbana: & alia tandem *semirealis*, qua res vnius alteri personæ seruit à vero domino.

Ex his *seruitus definitur* sic in genere, *ius percipiendi vtilitatem à re aliena*. Nam hic non agimus de illâ seruitute quæ personam personæ subijcit:

næ ſubijcit: ſed de eâ, quæ ad exemplum illius, vel prædium vnius prædio alterius, vel rem vnius perſonæ alienæ obnoxiam facit. Quare *ſeruitus* hic *realis* nihil eſt aliud, quàm *conditio prædij, quâ id ſubijcitur prædio alieno ad aliquem ex ſe vſum illi communicandum.*

Sunt autem *Prædia*, alia *Vrbana*, & alia *Ruſtica*, quæ non loco diſtinguuntur, ſed materiâ & vſu: nam quæ ad habitationem pertinent, vrbana vocantur, quamuis ruri collocata: ruſtica verò, quæ ad fructus deſtinãtur, veluti agri, paſcua, ſiluæ, horrea, horti, quamuis in vrbe ſint. Secundùm hanc igitur diſtinctionem, ipſæ quoq; *ſeruitutes*, cùm nihil ſint aliud, quàm qualitates prædiorum & iura quædam, *partim ruſticæ, partim vrbanæ* ſunt, prout vel ad ruſtici, vel ad vrbani prædij cõmoditates referuntur.

Seruitutes itaque *ruſticæ reales* numerantur à Doctoribus *nouem*: *Primò. Iter*, quod eſt ius eundi & ambulandi hominis per fundum alienum, etiam ſuper iumento, vel vehiculo. *Secundò.* Actus, qui eſt ius nõ tantùm eundi, ſed etiam agendi iumenta, per fundum alienum: Nam iter eſt, quà homines, actus quà pecora tranſeunt. *Tertiò.* Via, quæ eſt ius vehendi, agendi, & ambulandi; debetq; habere latitudinem octo pedum vbi recta extenditur, ſede-

cim verò vbi obliquatur. *l. 8. ff. de seru: Rust.* ita vt per eam possint commodè, & lapides, & ligna trahi, absq; fructuum læsione. *Quartò.* Aquæductus, qui est ius ducendi aquam per fundum alienum. *Quintò.* Adpulsus pecoris ad aquam alienam. *Sextò.* Ius pascendi pecora in fundo alieno. *Septimò.* aquæ haustus de puteo alieno. *Octauò.* ius coquendæ calcis. *Nonò.* ius fodiendæ arenæ.

Seruitutes verò *reales urbanæ* sunt *numero sex:* *Prima,* Tigni immittendi, qua liceat trabes suæ domus in pariete vicini figere. *Secunda,* Onera ferendi, per quam cogitur vicinus, perpetuâ refectione custodire sui parietis integritatem, vt idoneus sit ad sustinendum vicini ædificiū. *Tertia,* Stillicidij recipiendi, per quam vicinus tenetur recipere in suam aream aquam pluuialem, quę de tectis vicini labitur guttatim. *Quarta,* Stillicidij non recipiendi, vbi abundat aqua, ne aream vicini inundet. *Quinta,* Altius tollendi ædes vicini, vt suæ à vento v. g. australi defendantur. *Sexta,* Altius non tollendi easdem, ne propriæ ab Aquilone v. g. priuentur, aut aspectu locorum amæniorum.

Semireales autem seruitutes sunt numero tres; vsus, videlicet, vsusfructus, & habitatio, de quibus titulis sequentibus.

NOTA

Nota, omnes istas seruitutes cõstitui, tàm contractibus inter viuos, quàm vltima voluntate: non tamen ex tempore, vel sub conditione, quia sic ne promitti quidem seruitus potest, quæ causam semper perpetuam & titulum requirit. Ex quo sanè titulo oritur ius seruitutis constituendæ; id est actio personalis quâ compellam promissorem, mihi constituere seruitutem. Namq; ea tunc demum cõstituta mihi intelligitur, cùm cepero ea vti (id enim vice possessionis est) cum patientia concedentis, quæ loco traditionis est.

Finiuntur autem istæ seruitutes varijs modis, puta venditione, stipulatione, præscriptione, consolidatione, cessione, abusu rei, interitu eiusdem, & remissione.

TITVLVS IV.

De Vsufructu.

EXpositis seruitutibus prædiorum, sequitur de seruitutibus personalibus: inter quas eminet vsusfructus: & definitur sic:

Vsusfructus est *ius alienis rebus vtendi, fruendi, saluâ rerum substantiâ.* id est, vt substantiam rei neque immutet, neq; corrumpat, sed integram & illæsam seruet: vt si vsumfructum habeas gregis vel pomarij, tenearis in locum demortuarum pecudum vel arborum substitu-

ere alias: quatenus scilicet ex sobole siue fætu suppetant, non verò de tuo.

Constituitur autem vsusfructus *voluntate domini*, quà testamento, quà contractu, non tantùm in fundo & ædibus, verumetiam in seruis & iumentis, & cæteris rebus, exceptis ijs, quæ ipso vsu consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum, vestimenta, & pecunia. Interim *& à lege* constituitur, veluti ille qui patri competit in bonis aduentitijs filijfamilias: nisi id disertè prohibuerit ille à quo bona ista profecta sunt. Constituitur aliquando *& consuetudine*: passim enim superstes coniunx (excepto iure Polonico) retinet vsumfructum in bonis coniugis sui prædefuncti. Nonnunquam *& à Iudice* inducitur vsusfructus, veluti si cùm communis ager commodam diuisionem non reciperet, vni sociorum vsumfructũ, alteri proprietatem adiudicet. *l.* 6. §10. *ff. com: diuid.*

Quod verò dicitur fructuarium posse causam proprietatis meliorem facere, non deteriorem *l.* 13. *ff. eod.* id intelligendum est de cultu rei, non autem de mutatione formæ. Vnde ædificare non poterit in fundo cuius vsumfructum habet, nisi fortè horreum, quia ad recipiendum fructus spectat.

Ex quo principio sequitur, vt amittat vsúfructum

fructum qui eo abutitur, si scilicet id spectet ad grandem substantiæ corruptionem: nam modica rei corruptio æstimatione damni recompensatur. Extinguitur quoq; vsusfructus, morte fructuarij, vt & interitu substãtiæ; tum quoque capitis diminutione maximâ & mediâ, vt banno imperiali seu infamia, non autẽ professione religionis in monasterio. Item, rei mutatione, non vtendo, in iure cessione, dominij comparatione, temporis lapsu, &c.

TITVLVS V.

De Vsu, & Habitatione.

HÆc quoque seruitus personalis est, id est, à re personæ debita. Nam vsuarius est, qui habet facultatem vtendi oleribus, pomis, floribus, fœno, stramẽtis, lignis ad vsum quotidianum ipse, nemini verò eam poterit, aut locare, aut vendere, aut gratis concedere. Quod sanè facere potest vsufructuarius, qui habet facultatem omnes rei fructus percipiendi, non tantùm ad necessitatem, sed etiam ad voluptatem; nec tantùm pro se, vt vsuarius, sed & pro alijs, mercimonijq́; causa.

Simile est vsui Ius habitationis; hoc tãtùm addito, quod qui illud habet etiam locare ædes possit, is verò qui vsum tantùm habet, ipse so-

ipse solummodò cum familiâ & interim hospite vti debeat. Deinde habitatio in facto potiùs quàm in iure consistit, videturq́; quasi domus ipsa esse: neque capitis diminutione, aut non vtendo, sed tantùm morte finitur.

TITVLVS VI.

De Vsucapione & longi temporis præscriptione.

MOdi acquirendi dominij *Iure Gentium* titulo primo sunt explicati, sequuntur nunc modi acquirendi *Iure Ciuili* introducti, inter quos primus est Vsucapio. 2. Præscriptio. 3. Donatio. 4. Ius accrescendi. 5. Legatum. 6. Fideicommissum particulare.

Est autē Vsucapio *acquisitio dominij per continuationem possessionis temporis lege definiti.* Ad quam hæc quinq; requiruntur: *Primò*, Bona fides, videlicet quod accipiens credat se rem à domino accipere, vel non à domino quidē, attamen de voluntate domini, qui eam dereliquit, aut neglexit. *Secundò*, Iustus titulus, vt donationis, v. g. vel emptionis, quia falsus titulus, non est titulus; neq; sufficit enim quòd putes te emisse, si non emeris: vnde necesse est rem accepisse ex iusto titulo & sincerâ cōscientiâ. *Tertiò*, Tempus ad vsucapionem definitum; nempe si res est immobilis decennium, vel etiam vicennium, si dominus absens fuit, id

fuit, id eſt in alia Prouinciâ remotâ habitauit: ſi verò mobilis triennium. *Quartò*, Traditio cauſans poſſeſſionem, quæ eſt præambulum neceſſarium ad acquirendum rerum dominium præcedens illud, vel natura tantùm, vel etiam tempore. *Quintò*, continuitas poſſeſſionis. Nam ſi eam aliquâ parte temporis intermiſeris, prior poſſeſſio non imputabitur vſucapioni; quippe quę illo modo dicitur interrumpi. *l. 2. ff. h. t.* Deniq; *neceſſe eſt rem non eſſe per ius exemptam ab vſucapione*, quæ in quibuſdam rebus locum non habet, veluti in rebus Diuini Iuris, quæque aliæ extra commercium ſunt § *2. & 5. h. t.* Similiter rem furto vel vi ablatam, vel cum crimine Repetundarum quæſitam, quamuis bonâ fide acceperis, non poteris vſucapere, niſi redierit ante in potestatem domini; tunc enim purgatur vitium, quod alioqui rem comitatur. Etiam res ex bonis pupilli eximitur ab vſucapione. *l. 3. C. de præſcr. 30. l. 10.* tum res Fiſci. *l. 2. C. cõmuni, de vſu. l. 1. C. de quadrien.* res dotales. *l. 4. l. 16. ff. de fun. dot.* res teſtamento prohibitæ alienari. *l. vlt. § fin. C. comm. de lega.* res quæ à cuiuſq; arbitrio pendent, quas vocant meræ facultatis, vt domum altiùs tollere, *l. 2. ff. de via.* res denique aduentitiæ filijfamilias *l. 1. C. de annual. l. 4. § vlt. C. de bon. ... libe.* quia

ſcilicet adminiſtratio & actio non ipſi ſed patri competit, & proinde ipſi non valenti agere præſcriptio non labitur.

Eſt autem Præſcriptio, *exceptio quâ actor à iudicio repellitur, quia intra tempus lege præſcriptum, non inſtituit actionem ſuam.* Hæc hodie ſic ferè differt ab vſucapione, quòd per illam debitori liberatio ex tempore; per hanc poſſeſſori dominium acquiratur.

TITVLVS VII.

De Donationibus.

DOnatio à doni datione dicitur. Et *eſt acquiſitio de iure ciuili per liberalitatem in aliũ collatam, nullo iure cogente.* Vel ſic: Donatio eſt *præſtatio alicuius rei gratuita,* id eſt ſine mercedis diſerta vel tacita conuentione. Hæc olim non perficiebatur, niſi traditione vel ſtipulatione: hodie quocunque modo donantis voluntate declaratâ & acceptâ confirmatur: eiuſque impletio non ad liberalitatem, ſed ad fidem pertinet; quæ eſt pars iuſtitiæ, & proinde rectè iuris neceſſitate cõſtringitur. Nec poteſt reuocari, niſi ex cauſa ingratitudinis: quę fit non omiſſione officij, ſed cõmiſſione maleficij aduerſus benefactorem, ſi videlicet iniuriam grauem, vel corpori, vel honori, vel patrimo-

patrimonio donatoris quis inferat, aut ei insidias struat.

Est autem Donatio duplex; alia *inter viuos*, alia *mortis causa*. Illa, solius liberalitatis causa facta. Ista, mortis metu impendente, puta, valetudinis, nauigationis, peregrinationis, vel belli.

Quælibet autem est duplex: vel *pura*: vel *conditionalis*. Hæc, cùm ei conditio apponitur, si hoc aut illud feceris: vel si me mori cõtigerit. Illa, cùm sine vlla conditione donũ alicui confertur, simpliciter propter liberalitatem.

Ad donationem impropriã pertinet quoq; *Donatio nuptialis*, quæ scilicet ad subsidiũ matrimonij confertur; partim à muliere, & vocatur *Dos*: partim in eius compensationem, à viro, & dicitur *Donatio propter nuptias*. Quæ, quia ad compensationem dotis spectat, & soluto matrimonio ad maritũ reuertitur, ideo impropria donatio dicitur.

TITVLVS VIII.

Quibus alienare liceat vel non.

DVo paradoxa hoc titulo proponuntur, *vt non dominus alienet: & dominus non alienet:* Quia enim suprà dictum est, dominium esse

ius siue potestatem disponendi de re arbitratu suo, ideò contra hanc definitionem opponitur, quòd aliquando non liceat domino rem alienare suã. Nam dotale, & etiam quasi dotale prædium maritus inuita muliere, per legem Iuliam, ab Augusto latam, prohibetur alienare, quamuis ipsius sit, dotis causa ei datum. Contra autem creditor, pignus ex pactione, quamuis eius ea res non sit, alienare potest. Dummodo ante id denunciauerit debitori testibus adhibitis. *l. 4. C. de distr. pign.*

Hic NOTA, neq; pupillum, neque pupillam, vllam rem sine tutoris authoritate alienare posse: adeò, vt si is pecuniam mutuam dederit, eam statim repetere possit rei vindicatione, tanquam cuius dominium penes ipsum remanserit. Non ideò tamen minus si illa pecunia fortuito casu perierit, id enim damno erit eius qui accepit: cùm dominij translatio inhibita in fauorem pupilli non debeat ad eius damnum deflecti. Si autem nummi quos mutuo minor dederit, ab eo, qui accepit, bona fide consumpti sunt, condici possunt ex præcepto Iustiniani: si verò mala fide, ad exhibendum de his agi potest.

Est autem condictio crediti, vel condictio indebiti, *alia ex numeratione, & alia ex consumptione.* Ex numeratione, si vtilis sit numeratio. Ex

tio. Ex cōſumptione, ſi inutilis ſit numeratio, & ſi bonæ fidei ſit conſumptio. I. C. Intellige autem hoc de alienatione facta à minore ſub curatore conſtituto, non quidem immobilium (nam ad eã decreto magiſtratus opus eſt) ſed mobilium tantùm, & quidem eorum ſolummodo quæ vetuſtatem non ferunt.

TITVLVS IX.

Per quas Perſonas cuiq; acquiratur.

OMne quod acquiritur, aut dominium eſt, aut poſſeſſio, aut obligatio. De acquirendo dominio aut poſſeſſione in hoc titulo agitur; de acquirenda verò obligatione libro ſequenti.

Dominium itaque rerum, de Iure Ciuili titulo vniuerſali, acquiritur quatuor modis. 1. *per Adrogationem.* 2. *per Addictionem bonorum cauſa conſeruandarum libertatum.* 3. *per hæreditatem.* 4. *per Bonorum poſſeſſionem.*

Iſtud autem dominium acquiritur nobis, non ſolùm *per noſmetipſos*, ſed etiam *per ſeruos*, quia domino pro inſtrumento ſunt; itemq; *per filios familias*, quia vna cum patre perſona cenſentur; & interdum *per procuratorem.*

NOTA, quod Monachus hodie nihil ſibi acquirit, ad inſtar ſerui, ſed omnia monaſterio.

rio. *c. 6 extr. de stat. mon.* Filius autem familias quicquid à patrimonio patris separatum possidet, id totum vocatur *Peculium.* quod est quadruplex. Aliud Profectitium, & Aliud Castrense, Aliud quasi Castrense, & aliud Aduentitium.

Peculium Profectitium est, quod ad filium peruenit, siue proficiscitur ex re patris: veluti si filio donetur impuberi aliqua res ab amico contemplatione patris: vel si filius exercendo pecuniam patris lucratus est aliquid: id totum secundum antiquam obseruationem acquiritur patri. Vnde & illud quod liberis per sponsores donatur in baptismo, pleno iure patri cedit (nisi nominatim aliud cautum fuerit ab illis) quia & infans proprio affectu nihil meruisse videtur, & filiusfamilias adultus omnes operas suas patri absque omni dubio debet circa res eius.

Castrense peculium est, quod ad filiumfamilias peruenit occasione militiæ: id totum eius est, nec vsufructu quidem tenus pertinet ad patrem.

Peculium quasi Castrense est, quod ad similitudinem castrensis filius ex officio in Republica, aut ex studiorum liberalium honore acquirit, veluti aduocatus, consul, aut medicus factus; id totum pleno iure est filijfamilias

lias, ac si paterfamilias ipse fuerit. Eodem referuntur illa quæ ex beneficijs Ecclesiasticis filiusfamilias acquirit; quod hæc nimirum ad militiam sacram pertineant, quæ togatæ & armatæ militiæ par aut potior est.

Peculium denique aduentitium est, quod filiofamilias obuenit ex industriâ priuatâ, veluti ex mercaturâ aut artificio, itemque ex successione vel etiam donatione. Huius peculij pater vsum fructum habet, filius verò proprietatem : sed post emancipationem in dimidiâ tantum parte retinet pater vsumfructum. *l. 6. C. de bonis quæ liberis.* § 2. *h. t.*

TITVLVS X.

De Testamentis Ordinandis.

DIximus paulo superius, dominium non tantùm per res singulas acquiri, sed etiã per vniuersitatem rerum: hæc autem rerum vniuersitas potissimum acquiritur successione seu hæreditate, quæ partim ex testamento, partim ex lege proficiscitur.

Testamentum igitur (quasi mentis testatio) *est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis fieri vult post mortem suam.* Et est duplex. Aliud nuncupatiuum, & Aliud in scriptis.

Nuncupatiuum testamentum est, *vltima morien-*

morientis voluntas, non scriptis, sed verbo tantum, in præsentia testium comprehensa.

Scriptum verò testamentum est, *vltima defuncti voluntas solemniter in testium præsentia scriptis comprahensa.*

Sciendum autem primo, ad validitatem Testamenti requiri testes numero septem, qui præsente testatore, omnes simul collecti, illud subscribant, & signent proprijs (vel interdū alienis) sigillis; quod non debet aperiri, nisi mortuo ipso testante. Hæredis autem nomen ab ipso testatore, vel ab vno testium dictante testatore sit scriptum, si periculosum est eius nomen tam multis testibus innotescere.

Sciendum secundò, non posse testes fieri ad subscriptionem testamentorum, qui vel corporis vitia habent, vt muti, surdi, cæci: vel mentis defectum patiuntur, vt furiosi, impuberes, prodigi: vel qui per legem reijciuntur à talibus actibus propter vitæ probra, veluti damnatus de crimine; siue propter conditionem, vt seruus, & in potestate testatoris positus: vel denique ob sexum, vt mulier; quæ nihilominus in codicillo, & dispositione militis; vel inter liberos, aut tempore pestis, cùm masculi non possent haberi, vel ad piam causam testis esse poterit: nisi sit meretrix, vel deprehensa

prehensa in adulterio. *l. 3. § penult. & l. 18. ff. de testib.*

Sciendum tertiò. Neminem posse idoneum testem fieri in re propria: non prohiberi tamen à testimonio in testamẽto filium vel fratrem testatoris, si emancipati sint, similiter nec maritũ, aut vxorem, aut ministros. Quinimo filiofamilias de castrẽsibus testanti pater esse testis potest, si testetur ex priuilegio militis.

TITVLVS XI.

De militari testamento.

QVoniam miles arma potius quàm iura nosse debet, ideo supra dicta diligẽs obseruatio in ordinandis testamentis militibus propter nimiam imperitiam eorum constitutionibus Principum (primus autem id priuilegium concessit Iulius Cæsar) remissa est. Vt tamen certa sit militis voluntas, nec in damnũ eius, cui consultum esse cupit, aliquomodo cedat, necesse est vt duos saltẽ testes ad hunc actum aduocet. Quodsi verò scripturam adhibuerit etiam sine testibus testamentum eius valebit: qui tunc tantùm desiderantur, cùm sine scriptis voluntatem supremam nuncupat in ipso prælio; aliud, si in castris. Idem valet quoque, si moriens in pugna voluntatem

tem suam, vel sanguine in clypeo, vel gladio in terrâ descripserit.

Cessat autem hoc priuilegium, si miles extra expeditionem, id est castra & exercitum, in hybernis agit: multoq́ue proinde magis, si bellum sopitū est, & milites exauthorati sunt; nam tunc per otium facultatem habent se instruendi.

Sed & si quis ante militiam sine solemnitate testamentum condidit, & deinde miles factus, coram testibus, aut per scripturam approbauit illud, valebit quasi ex noua voluntate factum; licèt in eo emendauerit, aliquid detraxerit, aut adscripserit.

TITVLVS XII.

Quibus non est permissum facere Testamentum.

POstquam de formâ testamenti dictum est, sequitur nunc dicendum de causa efficiente. Quamuis enim omnibus competat fauorabilis hæc testandi facultas, non tamen omnibus licet facere testamentum, sed plurimi iure gentium vel ciuili, prohibiti inueniuntur. Inter quos:

Primò est Impubes, qui vsu mentis caret, nec attigit annum 14.

Secundò Filiusfamilias, non solùm de pecu-

lio pro-

lio profectitio, ſed nec de proprietate aduentitij, neque ad pias cauſas, quamuis pater cõſentiat, & poſtea teſtans ſui iuris factus decedat. Aliter tamen qui caſtrenſe, vel quaſi caſtrenſe peculium habent.

Tertiò, Mentecaptus, perpetuam videlicet habens mentis alienationem.

Quartò, Furioſus actu, pro tempore nimirum tantùm dictam habens alienationem, licèt in lucidò poſtea interuallo decedat. Factũ tamen teſtamentum tempore interualli valebit.

Quintò, Prodigus, ne potius ad ſocios prodigalitatis & ſcorta, bona ſua deferat, quàm ad propinquos aut hæredes. Niſi facta commutatione morum, frugi per triennium vixerit.

Sextò, Seruus, aut ab hoſtibus captus: niſi teſtamentum ante captiuitatem factum fuerit. Idem de obſide intelligendum.

Septimò, Morti aut pænæ damnatus, hoc eſt ad beſtias, aut ad metallum: cuius teſtamentũ etiam ante talem damnationem factum irritatur.

Octauò, Læſæ Maieſtatis reus, qui ne quidem pendente iudicio teſtamentum rectè condet. *l. vl. C. ad l. Iul. Maieſt.* ättamen id ſecutâ abſolutione conualeſcet. *Faber. h.*

Nonò, Cæcus vtroq; lumine, niſi omnia ſcri-

bãtur à Notario, octo testibus adhibitis. Quãuis id aliâs in nuncupatiuo testamento non requiritur. Verùm hodie hanc tam curiosam solemnium obseruationem remitti cæco inter liberos disponenti, frequentior est opinio.

Decimò, Surdus & mutus simul à natura, nisi scribere sciat, aut miles sit, aut deniq; à Principe in hoc priuilegiatus, idque sine solemnicatibus. Quod tamen in Polonia, in Magna familia, contrariè factum vidimus. & tu in surdastro & mutastro intellige.

Vltimò, Dubius de suo statu, quamuis de eo mota tantùm sit eidem controuersia. Sed & Religiosus professus testamentum condere nequit, etiam de rebus, quæ ante emissam ab eo professionem erant suæ, licèt superior consentiat.

TITVLVS XIII.

De Exhæredatione liberorum.

HOc titulo & sequenti tractatur de materiã testamenti: debet enim continere liberorum, quos testator habet, vel institutionẽ, vel exhæredationem, id est, expressam eorũ repulsionem ab hæreditate. Alioqui enim ex præteritione eorum testamentum vires amittit.

Est igitur exhæredatio, expressa ademptio

hæredi-

hæreditatis, vel partis à venientibus ad illam, ex lege 12. tab: ſuitatis iure.

Præteritio verò eſt, tacita ademptio hæreditatis, vel partis à venientibus ad illam eodem iure.

Antiquo etenim iure multiplex hac in parte differentia fuit circa liberos primi, aut vlterioris gradus, maſculos aut fæminas, iam natos aut poſthumos, ſuos aut emãcipatos, quæ hoc titulo exponitur, ſed iure nouiſſimo eſt antiquata. Secundùm quod non aliter legitima eſt exhæredatio patris, ſiue præteritio matris, parentumué maternæ lineæ, quàm ſi fiat ex cauſa iure probatâ, & à teſtatore adſcriptâ. Adeò vt eo non obſeruato, deficiat ipſo iure teſtamentum: ſaluis tamen legatis, & aliis capitibus præter inſtitutionem.

Cauſas autem exhæredationis Iuſtinianus in d. Nouell: 115. ad 14. capita reuocauit. Ex quibus decem pertinent ad violationem pietatis parentibus debitæ: reliquæ quatuor ſunt, quæ non directò pietatem lædunt, ſed ad aliam turpitudinem pertinent. Harum

Prima eſt, Inſidiæ à filio ſaluti patris intentatæ, veluti veneno.

Secunda, Accuſatio: niſi in crimine læſæ Maieſtatis. Debet tamen filius patrem hoſtili animo aduerſus Remp. animatum antè mo-

 nere,

nere, quam ad accusandum prosilire.

Tertia, Delatio, cum insecuto damno.

Quarta, Iniuria iniectis violentis manibus.

Quinta, Contumelia atrox per verba.

Sexta, Impedimentum obiectum quo minùs ex animi sententiâ testaretur.

Septima, Incestum cum Nouerca.

Octaua, Neglectio parentis furiosi.

Nona, Desertio eiusdem in captiuitate hostili.

Decima, Desertio eiusdem in carcere propter æs alienum inclusi.

Vndecima, Hæresis.

Duodecima, Professio artis arenarij vel mimi: nisi talis & ipse pater sit.

Tredecima, Societas sceleris cum maleficis.

Vltima, Si filia pudicitiam prostituat: nisi id faciat patre negligente ipsam nuptijs collocare post 25. ætatis annum. Aliud erit, si tantùm amori vnius pudorem impenderit. Sed ne talem exhæredare mater potest, quæ promiscuè se aut quæstus causa publicat, si ipsa talis est. Quod si verò filia viuo patre aut matre ad bonam frugem se composuerit, aboleri hanc exhæredationis causam plerique; putant.

TITVLVS XIV.

De Hæredibus instituendis.

DIximus superius, quòd hæreditas testamentaria consideratur, vel prout relinquitur alicui, & *tunc dicitur Institutio*: vel prout adimitur, & *dicitur Exhæredatio*: vel tandem prout testans negatiuè se habet ad prædicta, & *dicitur Præteritio.* De Exhæredatione & Præteritione Titulo superiore egimus; nunc verò agendum est de Institutione.

Hęredis itaq; Institutio non materiam tantùm testamenti principalem, sed etiam formam continet, quâ à reliquis vltimæ voluntatis speciebus differt, & sine quâ consistere non potest. Ideo in hac testamenti perfectio & integritas cernitur.

Nihil enim aliud est *Institutio hæredis*, quàm designatio successoris in omne ius defuncti, quod non minus onera, quàm commoda continet.

Hæres verò est, qui venit ad successionē defuncti, ex leg: 12. tab. siue ex testamento, siue ab intestato, siue in tota hæreditate, siue in quota eiusdem institutus. *Et est triplex.*

Primus dicitur necessarius, qui sic institutus velit, nolit, tenetur adire hæreditatem, & est seruus respectu sui domini, vt supra, ab eodē institutus.

Secundus dicitur Suus, & necessarius simul, attento Iure Ciuili, & est, qui primum tenet passiuæ potestatis patriæ locum apud ipsum defunctum, vt filiusfamilias, neposfamil. &c. in suis casibus. Et hic fit ipso iure hæres, quãuis paterf. vel simpliciter, vel ex defectu solemnitatum testamenti, decesserit intestatus. Hodie verò de Iure Prætorio talis hæres potest se ab ipsa hæreditate abstinere: vnde suus tantùm in effectu (licèt secus quoad nomen) asseri potest.

Tertius dicitur extraneus, qui à iure testantis exemptus est, qui liberè potest adire, vel non adire hæreditatem (etiam ab intestato sibi delatam) qualis est etiam. 1. filius emancipatus respectu patris, vel nepos emancipatus respectu aui. 2. filius respectu matris. 3. seruus proprius respectu domini à quo institutus est, & postea ab eodem inter viuos manumissus; & è contra in omnibus casibus. Vnde *hæres ab intestato est tantùm duplex*. Alius Suus, & alius Extraneus. qui tamen non semper in effectu sunt hæredes, sed tum solùm cùm passiuam saltem habent testamenti factionem; id est, cùm saltem aliquid ex testamento demortui capere possunt.

Hinc Nota differentiã Legatarij ab Hærede, quia Legatarius non personæ defuncti substitui-

ſubſtituitur, nec æri alieno eius illigatur (cum non in ius & ſtatum vniuerſum rei familiaris veniat) ſed in certarum rerum corpora ſuccedat. *l. ſi hæreditatem. 32. ff. mand.*

Inſtitutio autem hæredis. Alia eſt expreſſa, vt ſi teſtans dicat, Inſtituo Titium. *Alia Tacita,* vt ſi aliâs vltimatè diſponens codicillando dicat: Quisquis mihi hæres erit, rogo eum, vt det Petro centum.

Item *Inſtitutio expreſſa duplex* eſſe videtur. *Alia pura* ſiue vniuerſalis, ſiue particularis, quę ſine cohærede inſtituta, reliquas partes omnes hæreditatis, iure accreſcendi, proximis cognatis præripiet: niſi teſtator miles ſit. Et *Alia Conditionalis*, ſub conditione tamen poſſibili facta, alias conditione Impoſſibili, Difficili, aut Perplexa, appoſita, vim puræ obtinebit. Quæ nihil aliud eſt, quàm incertus euentus, ex quo ſuſpenditur diſpoſitio; habitura ſcilicet effectum illâ eueniente, defectura verò illâ deficiente. Eſt autem *conditio poſſibilis triplex:* Alia *fortuita* à caſu pendens, veluti ſi bellum finietur, quæ viciat inſtitutionem liberorum. Alia *arbitraria*, conſiſtens in poteſtate hæredis: veluti ſi monumentum mihi extruxerit. Alia denique *mixta*, quæ vtriuſq; qualitatis eſt particeps, veluti ſi Ioannam duxerit: ſed magis hæc ad naturam arbitrariæ

accedit: quia si hærede in nuptias parato, Ioanna recuset; pro impletâ habebitur conditio. Plures verò conditiones simul positæ, vel *disiũctiuè* concipiuntur: & sic sufficit impleri vnam. vel *coniunctiuè*: & sic omnium partiũ veritas desideratur.

Vtraque demùm Institutio hæc tam Pura quàm Conditionalis, *Aut in primo gradu est*, & dicitur simpliciter Institutio, vt Instituo Petrum; Aut *in secundo*, & dicitur Substitutio, vt instituo Petrum, & si Petrus hæres non erit, instituo Paulum, aut ei substituo Paulum. De qua Substitutione titulo sequenti: nunc verò videamus quomodo quælibet hæreditas de Iure diuidatur.

Legali ergo diuisione, *Hæreditas in duodecim partes diuiditur*. quarum quælibet dicitur *Vncia*. Duæ simul, *Sextans*: tres partes simul, *Quadrans*: quatuor, *Triens*: quinq; *Quincunx*: sex partes seu medietas hæreditatis, *Semis*: septem partes hæreditatis, *Septuns*: octo, *Bes*: nouem, *Dodrans*: decem, *Dextans*: vndecim, *Deunx*: duodecim simul, *Libra*, *seu As*.

Quod si igitur in assignandis partibus, excedatur numerus duodenarius, tunc primæ duodecim partes dicuntur *pondium* (diuisa nimirum hæreditate in vncias viginti quatuor) secundæ verò duodecim dicuntur *dupondium*.

Etsi plu-

Etſi plures hæredes adhuc erunt, tunc tertiò in duodecim partes hæreditas diuidēda erit, quæ appellabuntur *tripondium*. Si itaq; plures inſtituti ex partibus excurrētibus vltra aſſem, & alius præterea ſine parte: is habebit quod deeſt dupondio. Si verò diſtributio dupondium expleuit, & deinde adhuc alius inſtituatur non adſcripta parte: is trientem auferet non ſemiſſem hæreditatis. At ſi primæ duodecim non fuerint omnes aſſignatæ, tunc reſiduæ per ius Accreſcendi acquirentur illis, quibus cæteræ ſunt áſſignatæ, ſeruata tamen proportione Geometrica. Et hæc de Inſtitutione in primo gradu: nunc videamus de Inſtitutione in ſecundo vel vlteriori gradu, quæ dicitur Subſtitutio.

TITVLVS XV.

De vulgari Subſtitutione.

S*Vbſtitutio eſt* ordinatio ſiue deſignatio hęredis in locum inſtituti priore gradu, ſi is fortè hæres non extiterit. Exempli cauſa. Inſtitutio eſt. *Titius mihi hæres eſto.* Subſtitutio verò eſt. *Si Titius mihi hæres non erit, Sempronius mihi hæres eſto.*

Eſt autem duplex Subſtitutio hæc. Alia directa, id eſt verbis directis facta, quæ in ſuis caſibus

substitutus potest auctoritate propria hæreditatem capere. Alia obliqua, seu verbis obliquis facta, quæ fideicommissum vniuersale dicitur, qua videlicet substitutus eget auxilio instituti, vt ipsam valeat consequi hæreditatem, vt nimirum illam adeat institutus, & postea illam substituto restituat.

Et quidem *Directa Substitutio est sextuplex*, Alia Vulgaris, alia Pupillaris, alia Exemplaris, alia Reciproca, alia Compendiosa, & alia Militaris.

Substitutio Vulgaris, alia expressa, alia tacita, hoc est expressis vel tacitis vulgaribus verbis facta; simpliciter illa, ista secundùm quid dicta; vel fit generatim, vel speciatim, à quouis tamen, vtraq; & cuicunq;, & de quocunque; & in quemcunq; casum fieri potest.

Pupillaris, (de qua titulo sequenti) & quodammodo vtilis, his tantùm concessa est, qui liberos habent in potestate.

Exemplaris in fauorem furiosorum introducta (vt Ioannem filium meum furiosum instituo, & si Ioannes hæres non erit, vel erit, sed in furore decesserit, ei substituo Petrum) euanescit ex superueniẽtia sanitatis etiam hæreditate non addita: non tamen euanescit in vim vulgaris substitutionis. Dicitur autem substitutio ista exemplaris, quia ad imitationem pu-

nem pupillaris eſt facta. A qua differt in hoc, quia in Pupillari quilibet poteſt ſubſtitui; in Exemplari verò non item; ſed primo loco debent ſubſtitui filij talis furioſi; deinde illis nō ſtantibus, fratres, & ſorores eiuſdem. Poſtmodum verò, neque his exiſtentibus poſſunt ſubſtitui extranei, capaces tamen.

Subſtitutio Reciproca vocatur illa, quæ eſt facta pluribus cohæredibus inuicem; vt Titium & Caium inſtituo, & eos inuicem ſubſtituo. Idq́; expreſsè vel tacitè: ſi enim vnus nolit eſſe hæres, tunc alteri per ius accreſcendi tota hæreditas acquiritur adeūti. Et ſi fuerint plures inſtituti ex inæqualibus partibus, & contingat ex ijs tertium repudiare hæreditatem: reliqui duo eius portionem participabunt nō æqualiter, ſed ex ijs partibus quæ ipſis in inſtitutione aſſignatæ ſunt. Vulgò hanc ſubſtitutionem Breuiloquam vocant.

Subſtitutio Compendioſa dicitur, quæ verbis directis conditionem continentibus plura tempora mortis futuræ, vel alterius effectus continet, vt Titium filium meum inſtituo, & quandocunq; deceſſerit, vel conſul factus fuerit, ei ſubſtituo Caium. Diciturq́; Compendioſa, quia ſub compendio verborum continet primariò plura tempora, ſecundariò verò plures etiam ſubſtitutiones.

Subſtitu-

Substitutio demum Militaris appellatur illa, quæ à milite, maiori, etiam extraneo, ac post aditam hæreditatem facta est.

Sciendum tamen, duas substitutionis species primarias esse, Vulgarem & Pupillarem, reliquæ autem earum tantùm accessiones siue sequelæ sunt.

TITVLVS XVI.

De Pupillari Substitutione.

QVemadmodũ vulgaris Substitutio dirigitur in casum nõ aditę hęreditatis, ita Pupillaris in casum mortis filij impuberis. Itaq;

Pupillaris Substitutio est, institutio in secundo vel vlteriori gradu facta pupillo ab habente illum in potestate patria. vt Titium filium meum impuberem instituo, & si Titius hæres non erit, vel erit, sed in pupillari ætate decesserit, ei substituo Caium.

Est autem *Duplex Substitutio Pupillaris*. Alia Expressa, quæ ab omni successione pupilli excludit matrem eius. *l. 8. § 5. ff. de inoff.*

Alia tacita, quæ non valet ad excludendam matrem, etiamsi substitutus sit frater pupilli. *l. 8. C. h. t.*

Differentia vero vulgaris & pupillaris substitutionis hæc est.

Primò,

Primò, Quod vulgaris fuit inducta à lege 12. tab. pupillaris verò ab ipsa consuetudine.

Secundò, Illa fit à quouis; hæc verò tantùm ab habente institutum in patria potestate.

Tertiò, Illa fit cuicunque hæredi, & cuiusuis ætatis: hæc tantùm suo impuberi.

Quartò, Illa, vt sic, expirat aditione hæreditatis: hæc, vt sic, pubertate tantùm.

Quintò. Illa procedit in hæreditate tantùm Instituentis: hæc etiam in hæreditate ipsius instituti: cum tale testamentum vim duorum testamentorum habeat; & sic ipsa institutio dicitur prima tabula, substitutio verò dicitur secunda tabula.

Sextò. Illa habet locum contra omnes prætendentes in iure substituentis: hæc verò nō item contra matrem.

Ijsdem modis dicas differre substitutionē vulgarem ab exemplari proportionaliter discurrendo, vt supra; vt quod prima fiat cuicunque, secunda verò tantùm filio furioso; & quod hæc expiret, vt dixi, superuenientia sanitatis: atque hinc sanè quasi Pupillaris dicitur, quia per eam ad exemplum pupillaris, licet parentibus substituere liberis suis furore occupatis, non tamen quemlibet, sed ante omnes vel aliquem ex liberis furiosi, aut si ij desunt, ex fratribus sororibusuè. § 2. h. t. reliquis

quis furiosi liberis legitima portione relictâ, *DD. ad d. l. 9.*

Et hæc substitutio paterni testamenti quædam appendicula est: potestque fieri etiam exhæredato. Masculo igitur vsque ad quatuordecim annos substitui potest: fæminæ vsque ad duodecim annos. Et si hoc tempus excesserint, substitutio euanescit.

TITVLVS XVII.

Quibus modis testamenta infirmantur.

HActenus expositum est, quomodo testamentum constituatur, nunc dicendum est, quomodo ea semel cõstituta dissoluãtur.

Duobus itaque modis potest infirmari testamentum. Primo, ipso Iure, Secundo, Officio Iudicis. De primo modo, hoc titulo agemus. De Secundo, sequenti.

Et de Iure quidem, sex modis contingit infirmari Testamenta. *Primò*, statim vt est factum, si sit deficiens in solemnitatibus, & tunc appellatur, *Testamentum non iure factum. Iniustum, Imperfectum, aut Nullum*, quia ab initio & ipso iure non valet. § *6. h. t.*

Secundò, iam post factum, natiuitate posthumi, siue naturalis, siue legalis; & tunc dicitur testamentum ruptum.

Tertiò,

Tertiò, factione alterius testamenti: inest enim tacitè in secundo clausula derogatoria primi. Secus si talis clausula, quamuis expressa sit in primo testamento posita, etenim per illam non nocetur secundo, nisi incontinēti secundum testamentum sit factum, post dictum primum.

Quartò, petitione bonorum possessionis contra tabulas factas ab instituto.

Quintò, quauis capitis diminutione testantis, per quam scilicet amittitur testamenti condendi potestas: & tale testamentum vocatur *Irritum*.

Vltimò, defectu hæredis non adeuntis hæreditatem, quod appellatur *Desertum*, siue *Destitutum*. Quod si verò institutus præmoriatur testanti, dicitur *Caducum*.

Quod si autem quæras. *Vtrum secundum testamentum imperfectum rumpat aliquando primum perfectum?* Respondeo quod sic:

Primò, si in secundo testator dicat se nolle valere primum, & postea lapsi sint decem anni; nam validitas primi dicitur præscripta.

Secundò, si secundum sit à milite factum, militari saltem solemnitate.

Tertiò, si in secundo sint instituti venientes ab intestato.

Quartò, si ex primo testamento hærede non

non adeunte, hæres ex secundo adeat.

Quintò, si in secundo adsit clausula Codicillaris, videlicet, si hoc testamentum non valet iure testamenti, valeat iure Codicilli; qua sustinetur secundum testamentum, quãuis deficiens in institutione, in vim videlicet alterius vltimæ voluntatis. Nam talis clausula in dicto casu adimit hæreditatem iam in primo testamento datam, quæ postea confirmatur inveniente ab intestato ad illam.

Sextò, si secundùm sit factũ ad pias causas.

Septimò, si ambo sint condita à rustico, qui testari potest quinque saltem tantùm testibus adhibitis, eius tamen voluntate ad scripturã redacta, ac per dictos testes subscripta.

Octauò demùm, si secundum coram Principe sit factum, aut eidem insinuatum, & de hoc constet. Insuper iuramento firmatum testamentum reuocari potest, si vel iniquum sit, vel imperfectum, vel aliqua iusta reuocandi causa intercedat.

TITVLVS XVIII.

De Inofficioso Testamento.

REscinduntur etiam testamenta & infirmantur officio Iudicis, quando est factũ aliquod testamentum contra pietatem. Hinc

dat

datur actio seu accusatio ob exhæreditationē sine causa, aut præteritionem, quasi testator non fuerit sanæ mentis, dum præteriit sine iusta causa aut exhæredauit eos, quos pietas iudicabat esse instituendos.

Testamentum itaq; inofficiosum est, quod contra officium pietatis factum est. Cuius accusatio primò competit liberis, deinde parentibus, deniq; fratribus aut sororibus, vt ita ipsis aperiatur via succedendi ab intestato. Quod sanè genus accusationis siue actionis, verecūdiore nomine, in honorem sanguinis mitigatum, appellatur *querela inofficiosi*; quæ, extra triplicem istum ordinem personarum non competit reliquis cognatis.

Cessat tamen querela hæc de inofficioso testamento in quinque casibus. *Primò*, si potens illā proponere alio modo queat ad successionem defuncti venire. *Secundò*, si quid ei relictum sit iure institutionis; aut iure legati in Codicillo, vnde legitimam supplere poterit. *Tertiò*, post quinquennium, quo præscribitur querela. *Quartò*, si talis agnouit legatū sibi in dicto testamento relictum.

Vltimò, cessat querela contra testamentum militis.

TITVLVS XIX.

De hæredum qualitate & differentia.

OMnis effectus testamenti consistit in aditione hæreditatis, cuius ratio vt noscatur, distinguendi sunt hæredes, in Necessarios, in Suos, & in Extraneos.

Necessarius hæres est, cui non licèt hæreditatem reijcere, vt seruus â Domino institutus; qui velit, nolit, tenetur adire hæreditatem.

Suus hæres est, qui in potestare testatoris cõstitutus est, vt filiusfamilias, nepos, & omnes ferè liberi primi gradus, quos vinculum potestatis patriæ vnam quodãmodo cum parente personam constituit.

Extraneus verò est, qui â iure testantis exemptus est, & qui liberè potest adire vel non adire hæreditatẽ, etiam ab intestato sibi delatã.

Sui igitur, quia ipso iure, citra vllum factũ aditionis, adeoq́ue & citra auctoritatem tutoris hæredes existunt; ideo suscipientes hæreditatem dicuntur se *immiscere*, reijcientes verò, *abstinere*. Extranei autem dicuntur *adire* hæreditatem, reijcientes, *repudiare*.

NOTA, quôd circa aditionem hæreditatis tria tempora sint inspicienda. *Testamenti factio, Mors testatoris, & Tempus aditionis*. Vt igitur suus potiatur hæreditate, sufficit ipsum eius ca-

eius capacem esse tempore mortis & condendi testamenti; etiamsi aditionis tempore capax esse desierit: quia scilicet hæc in eius personâ non desideratur. Diuersum est circa extraneũ: qui tribus illis temporibus capax esse debet: sed medijs temporibus incapacẽ fuisse non obest. § 5. *h. l. si alienum 49.*

Additione igitur hæredes demum efficiuntur, institutione tantùm destinati aut designati: & succedentes in vniuersum ius defuncti, eiusq́; personam repræsentantes, consequenter sese eius æri alieno quoq; subijciunt: singuli nimirum pro portione ex qua hæredes sunt, circa cæteras enim extraneorum loco sunt. *Gomes de Contract. c. 10. n. 3.* Ideo eis cõceditur *Ius deliberandi*, id est, spatium certi temporis facultasq́; interea explorandi atque expendẽdi vires & onera hæreditatis. Et quidem tempus longius anno per Principem, aut longius nouem mensibus per iudicem non obtinetur; nec breuius dandum centũ diebus

TITVLVS XX.

De Legatis.

QVamquam legata spectent ad modos acquirendi res singulas, tamen vt continuetur series materiæ testamentorum, tractan-

dum hoc loco Imperator putauit.

Est itaq; legatum, delibatio hæreditatis, qua testatur particulatim alicui quid attribuit ex eo quod alioqui vniuersum hęredis foret. *l. 116. ff. de leg. 1.* Vel, Est donatio quędam à defuncto relicta, ab hærede præstanda: quæ potest fieri diuersimodè. 1. purè. 2. sub conditione. 3. in diem. 4. ex die. 5. ante hæredis institutionem. 6. post illam. 7. inter hæredum institutiones. 8. post mortem hæredis. 9. post mortem Legatarij.

Relinqui verò potest, aut vni tantùm, aut pluribus: idq; vel *diuisim* cum eiusdem rei dimidia, v. g. vni, & alteri dimidia relinquitur diuersis orationibus perfectis: vel *coniunctim*, seu re tantùm, seu verbis tantùm, seu vtroque modo simul. Et legatarius tertio modo coniunctus præfertur alijs, cæteri verò à pari ambulant. Quæuis tamen coniunctio vno ex collegatarijs v.g. non agnoscente suam portionem, sufficit, vt eadem agnoscenti suam acquiratur per ius accrescendi.

Sed queres *quænam res possint legari, quæ non?*

℞. *Primò* potest legari, res legantis. *Secundò*. Res communis leganti, & tertio: quod tamen intellige, si legans sciebat talem rem pro parte esse alienã, tũ non potest legare, nisi pro parte tantùm sua. *Tertiò*. res legatarij alteri; facta re-

ćta recōpensatione. *Quartò*. res hæredis. *Quintò*. res aliena, si legans sciebat esse alienam: Domino tamen nolente illam præstare, hæres ad illius precium tenetur; nisi legatarius iā fuerit titulo lucratiuo factus dominus eiusdem rei, vt donationis, emptionis. &c. *Sextò*, res futura, vt fructus qui nascentur. *Septimò*. res incorporea, vt liberatio debitori. *Octauò*. dos mulieri; dum tamen in his duobus casibus quid plus debito legetur, vel re, vel causa, vel loco, vel tempore. *Nonò*. factū, vt inscriptio aut extructio sepulchri. *Vltimò*. Optio; si verò legatum sit pluribus coniūctim factum, & illi non concordent in eligendo, tunc mittitur sors.

Non potest autem legari. *Primò*. res extra nostrum cōmercium. *Secundò*. res legatarij propria, illimetipsi. *Tertiò*. debitum creditori simpliciter. *Quartò*. res aliena, quam legās nescit esse alienam; & sic liberatio seruo alieno, quem ignorat alienum, non tenet; secus, si sciat, tunc enim hæres tenetur precium domino præstare, & talem seruum manumittere. Quod si dominus nolit illum vendere, nō propterea ob id extinguitur legatum, sed durat, donec est spes, quòd sit illum venditurus.

Quæres secundò, *Cuinam possit relinqui legatum, & cui non?*

Respondeo, quod non alij nisi ei qui potest hæres institui. Potest quoque legari & seruo hæredis, cum cōditione tamen, *cùm liber erit.* alias domino acquiret. Et semper tenet legatum, licet falsa causa sit in eo adiecta, aut falsò res sit demonstrata, aut sit erratum in nomine legatarij, dum tamen alias constet. Sicut è contra non potest relinqui ei, qui non potest institui hæres.

Legare autem nemo potest, nisi is qui factionem actiuam testamenti habet; sicut & qui fideicommissum vult relinquere particulare. Ille verò non potest, qui dicta factione caret.

Cùm autem in iure res consistat, *vel in specie*, cuius cognitio per sui essentiam habetur, *vel in quantitate*, cuius cognitio habetur per aliquam ex tribus dimensionibus, numerum, videlicet, pondus, & mensuram, pro quouis legato, siue de specie, siue de quantitate competit actio personalis: pro legato autem de specie competit insuper actio realis: & pro legato tandem de quantitate vna cum prima competit etiam actio hypothecaria. Planè ex his tribus actionibus non potest eligi vindicatio circa legatum generis, quantitatis, aut rei alienæ, aut alternatiuum, quia his casibus nō transit ipso iure dominium in legatarium.

l. 84. § *Sti-*

l. 84. § Stichum de leg. 1. Bronc: 3. asser: 63.

Vt autem ſcias cuius commodo legatum augeatur, & cuius incommodo minuatur, NOTA, quòd, *aut legatum cedit*, à die aditionis hæreditatis, & tunc augmentum ante aditionem factum accreſcit legatario; quamuis adhuc illud non agnouerit: *aut non cedit* ſic, vt quia ſit ſub conditione, vel in diem, vel ex die; & tunc augmentum factum ante purificatam conditionem, v.g. cedit hæredi. Si verò minuatur facto hæredis, illi minuitur; ſi non facto illius, minuitur legatario. Idem dic, ſi res in totum pereat.

NOTA ſecundò. Acceſſorium rei legatæ aliquando deberi legatario, aliquando non. Vt legata ancilla cum natis, debentur hi legatario mortua illa, ante agnitionem etiam talis legati. Item, legatis ſeruis ordinarijs cum vicarijs, debentur ſecundi mortuis primis. Prout etiam legata domo debentur, & columnæ additæ poſt teſtamentũ: & omnia quæ ei adſtructa ſunt; adeoque & apotheca, ſi eadem contignatione connectitur. *Anchoran. conſ. 291.* Denique legata libertate ſeruo, cum hoc, quod ſeruus redditis rationibus dominicis hæredi; eidem ſoluat, quod reſtabit in debito, debetur tali ſeruo ipſum peculium. Contra, legato ſeruo cum peculio, illo

mortuo antequam legatarius agnouerit legatum, non debetur legatario ipsum peculium. Deinde, legato fundo instructo, non debentur instrumenta fundi, si fundus postea fuerit per legantem alienatus. Vltimò non debetur peculium seruo, si ei sit legata libertas cum peculio, non debetur illi, quod expendit in rationes dominicas.

NOTA tertiò, quòd ad dandum legatum grauari potest: *Primò*, cohæres ipsi cohæredi suo, suam etiam repudianti portionem. *Secundò*, hæres etiam ab intestato hodie ob dictam æquiparationem legati, ac fideicommissi particularis, donationisvé causa mortis. *Tertiò*. legatarius, & quiuis, alius aliquid ex morte legantis accipiens ob eandē æquiparationē. *Quartò*, hæres hæredis ipsius legantis. *Quintò*, hæres legatarij, vel fideicommissarij. Non potest autem, substitutus filio legantis exhæredato, quamuis aliquid fuerit ei relictum. Deinde hæres ad sibi ipsi præstandum legatum, sicut & ille, cui nihil est relictum.

TITVLVS XXI.

De ademptione & translatione legatorum.

LEgatum & eodem testamento, & codicillis, tum adimi, tum in aliū transferri quibusuis

busuis verbis potest. Nec ad eiusmodi reuocationem solemnitas aliqua desideratur, sed quæcunque probatio sufficit. *l. 27. C. de fideicom.* Adimuntur autem legata & fideicommissa, sine vlla scriptura, nuda voluntate. *l. si iure 18. de lega.* 3. adēptione tacitâ, partim alienatione rei legatæ, partim reuocatione oneris eidem adscripti, partim deniq; amissione corporis legati, sine culpâ tamen aut mora hæredis.

NOTA, quòd si ad alium transferatur legatum, qui eius incapax sit, non eo minus priori ademptum erit. *l. 20. ff. h. t.* Diuersum puta, si quod vni purè quis legauit, alteri leget sub conditione; quia priori sub contrariâ cōditione reliquisse intelligitur. *l. 7. ff. h. t.*

NOTA secundò, rem in specie alicui legatam, non videri ad eum translatam cui postea vniuersitas legatur, suo ambitu illam quoque rem complexa: quia semper generi per speciem derogatur. *l. vxorem 39. § felicissimo de leg. 3.* Transslatio autem censetur fieri cum onere iniuncto priori, nisi nouum onus secundò adscripsit. *l. Caio 73. de aliment. l. 30. de admen.*

TITVLVS XXII.

De Lege Falcidia.

DIximus Titulo superiore legatum 1. posse relin-

ſe relinqui. 2. adimi. 3. trãsferri: hoc verò titulo præſenti dicendum eſt poſſe etiã minui, per legem ſcilicet Falcidiam, quæ poteſtatem quantũlibet ex bonis ſuis legandi, ex lege 12. tab. deſcendentẽ, certo modo definiuit. Nam erat quidem ſuperarctanda legandi licentia antea lex Furia (à Furio Tribuno plebis) lata, non vltra mille aureos vni legare permittens: ſed hæc eludebatur pluribus legando perſonis. Deinde lex Voconia, prohibens amplius quàm hæredi relinqueretur, effundi in legatarios. Neutra tamen ſufficiens ad rei conſummationem videbatur: ac propterea ſucceſſit lex Falcidia, ab auctore Falcidio Trib: pl. ſic appellata: qua prohibetur teſtator vltra tres partes hęreditatis legatis elargiri: adeò vt ſupra eum modum exhauſta hæreditate legatis, hactenus de ijs pro ratâ cuiuſque, id eſt proportione Geometricâ, deducat hæres, quatenus ſaluam ſibi habeat quartam partem hęreditatis.

Nota, quòd antequam legata præſtentur, vel ex illis dictæ portiones deducantur, debeat deduci primo loco debitum, quod eſt ſuper hæreditate. Deinde impenſa funeris, ac monumenti neceſſarij. Tandem preciũ ſeruorum hæreditatis manumiſſorum, vel emptorum de pecunijs hæreditarijs ad effectum præceden-

præcedendi cadauer defuncti, honoris gratia.

Nota secundò, non à quouis legato deduci Falcidiam, atque *Primò*. à legato ad pias causas facto. *Deinde* à legato de legitima. *Tertiò*, de dote mulieri; nisi in plus re fuerit. *Quartò*, à legato per militem facto. *Quintò*, si legans prohibuerit illam detrahi. Idē de Trebellianica; respectu cuiusuis fideicommisi, donationisvè causa mortis.

TITVLVS XXIII.

De fideicommissariis hæreditatibus, & ad S.C. Trebellianum.

Fideicommissum est supremæ voluntatis dispositio, quâ ei, ad quem aliquid ex hæreditate perueniet, mandatur, vt id restituat alteri, vel etiam alteri aliud quid præstet.

Appellatur autem fideicommissum propterea, quia defuncti voluntas fidei hæredis committitur, non verò in iuris auctoritate collocatur, quemadmodum, legatum, institutio, & substitutio.

Et est duplex. Aliud fideicommissum Vniuersale. Aliud Particulare. *Vniuersale fideicommissum*, seu hæreditas obliqua est, quo testator hæredi mandat, vt totam hæreditatē, vel certè partem eius alteri restituat. *Particulare verò fidei-*

rò fideicommissum est, quod res siue corpora singula de hæreditate complectitur; & hodie eandem cum legato vim habet. § *4. sup. de leg.* Iam autem liberum est fideicommissum relinquere, vel purè, vel sub conditione, vel ex certo die.

NOTA quod fiduciarius hęres, id est is qui rogatus est restituere, si nolit adire hæreditatem, poterit ad id compelli à fideicomissario. Et hoc casu restituit totum: cùm alioqui spōtè restituens, possit deducere vel retinere sibi quartam partem: secundum cuius proportionem æs quoque alienum defuncti sustinebit, vt qui particeps est commodi, sentiat & onus.

Senatusconsultum verò Trebellianum est lex à Trebellio Maximo, & Anneo Seneca, Consulibus facta, vt si hæreditas ex fideicommissi causa restituta sit, omnes actiones, quæ iure ciuili hæredi, & in hæredem competerent, ei, & in eum darentur, cui ex fideicommisso restituta esset hæreditas.

Sicut igitur per Falcidiam, quæ item est quarta pars, minuitur legatum ob exsolutionem æris alieni, ita per Trebellianicam solam fideicommissum vniuersale: particulare verò tum per Trebellianicam ex vi introductionis tum per legitimam ex vi æquiparationis.

TITV-

TITVLVS XXIV.

De singulis rebus per Fideicommissum relictis.

SIngulare Fideicommissum est liberalitas, qua quid alicui relinquitur in vltima voluntate verbis obliquis, vt argentum, aurum, pecunia, vestis, rogando hæredem vt ei restituat: veluti: *Rogo te hæres vt fundum Seianum Titio restituas*, & est fideicommissum singulare: vniuersale verò: *Peto vt hæreditatem reddas.*

NOTA legata ex ipso testamento, fideicōmissa verò ex fide hæredis pendere: & illa esse directa, hæc autem non item.

NOTA secundò, fideicommissum singulare non valere, si hæreditas soluendo non sit: sed benè vniuersale. quia hic fideicommissarius loco hæredis est; ille vicelegatarij. Planè autem deductio quadrantis ex SC. cessat, vbi hæreditatem æs alienum absorbet.

NOTA tertiò: singulare fideicommissum iniungi posse cuicunque aliquid à testatore capienti: etiam circa rem alienam; dummodo non excedat æstimationem eius, quod ille capit: hactenus enim quà excedit inutile est. Amplius enim onerari quis à defuncto quam honorari non debet.

Excipe, si restitutio post tempus mandata sit: hoc enim casu simul computabitur incrementum

mentum vsurarum, vel additamentũ fructuum medio tempore perceptorum. *l.70.§1.& 2.ff.de leg. 2.*

TITVLVS XXV.

De Codicillis.

CODICILLUS *est*, testati, vel intestati minus solemnis vltima voluntas. *Et est duplex*: Alius Nuncupatiuus, & alius Scriptus, vt dixi de testamento. vterq; tamen restrictior testamẽto & efficatior quod ad materiam attinet: solutior & liberior quod ad formã. Nam propriè tantùm Codicilli sunt, eorum quæ in testamento testatoris voluntati desunt, supplementum. Hinc

NOTA, differentiam inter testamentum & Codicillos. *Primò*, quod in testamento hæreditas potest, tum dari, tum adimi, tum transferri, etiã directè: in Codicillo verò obliquè tantũ, ita vt si directè prædicta fiant, obliquentur. *Secundò*, relictum in testamento petitur actione directa ex testamento: relictum autẽ in Codicillo per testamẽtum confirmato eadem actione: confirmato verò per aditionem hæreditatis, vt sup. petitur actione tantùm vtili ex testamẽto. *Tertiò*, potest quis cum pluribus Codicillis validis, non contrarijs tamẽ; mori: non item cum pluribus testamentis.

Quartò

Quartò, ad teſtamentum requiruntur ſeptem teſtes, ad Codicillum tantûm quinque, qui ordinationis ſolummodo ſint teſtes. Iam autem teſtamentum ſolemnitatibus deſtitutum non ſuſtinebitur in vim codicilli, *l. vlt.* §*1. C. h. t. l. 1. ff. eod.* quia non ſufficit ad validitatem ciuilis actus forma, ſi agentis deeſt intentio. *l. 14. C. de teſtament.*

INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS LIBER TERTIVS.

TITVLVS PRIMVS.

De Hæreditatibus quæ ab inteſtato deferuntur.

POſtquam explicatum eſt, quomodo ex teſtamento hæreditas acquiratur: ſequitur, quomodo ab inteſtato deferatur, id eſt teſtamento non extante aut deficiente.

Quatuor autem modis quis dici poteſt inteſtatus. 1. qui omnino teſtamentum non fecit. 2. qui non iure fecit. 3. qui fecit quidem, ſed ruptum eſt, aut natiuitate poſthumi, aut arrogatione

gatione filij : vel irritum factum, capitis diminutione. 4. si ex eo nemo hæreditatem adierit.

Igitur hoc casu defuncto hæredes certo ordine lex ipsa designat : successioq; ab intestatis legitima appellatur, siue *iusta hæreditas*, quod solius videlicet legis auctoritate dirigatur, inq; tres potissimum ordines gradatim in iure distribuatur. *Primus est descendentium*, id est filiorum defuncti, liberorumque & quos deinceps posteros appellamus : quos ad hæreditatem vocat ipsa natura, & commune parentum votũ, quo eos sibi superstites optant. *Secundus est ascendentium*, cum turbato ordine mortalitatis vicissim liberis parentes succedunt, & qui vltrà maiores appellantur. *Tertius est ordo transuersalium*, siue *collateralium*, in quo sunt reliqui à latere coniuncti siue cognati.

Quantum ad successionem descendentium. Si defunctus liberos reliquit, illi soli succedent æqualiter in ter se partiendo hæreditatem, sublato per Iustin. omni discrimine sexus, suitatis & emancipationis. Quod si liberi primi gradus, nempè filij filiæve, non sunt superstites, in horum gradum & locum intrant soboles ipsorum, scilicet nepotes neptesq; eius, de cuius successione agitur, id quod vocatur *Ius repræsentationis*, quia nimirum personam patris sui

tris sui

tris ſui defuncti quiſque repræſentant, vt eodem quo ipſe cenſeantur iure. Vbi quia plures perſonæ iure cenſentur vnius, ad quem ortus ſui ratione referuntur, ſicuti rami ad truncum ſeu ſtirpem; ideo dicuntur *ſuccedere in ſtirpes.* Sicut è contra dicitur *Succeſſio in capita,* cùm ſingulę perſonæ ſeorſim neminemque referentes ſuo iure ſuccedunt.

Quantum ad ſucceſſionem aſcendentium: Si defunctus liberos non reliquit, ordo ſucceſſionis legitimæ, ad parentes eius deuoluit bona, æquis inter eos partibus diuidenda, nullo diſcrimine originis, hoc eſt non habitâ ratione, quæ ex paternâ, quævé ex maternâ lineâ ad defunctum peruenerint bona. Quod ſi pater & mater non ſuperſunt, ſuperiores parentes, veluti auus & auia, quà paterni, quà materni, ſuccedunt nepoti quaſi in ſtirpes, nempè illis de paternâ lineâ dimidiam, & illis de maternâ alteram dimidiam capientibus. Si verò defunctus præterea fratres aut ſorores reliquit, ij vnà ad ſucceſſionem veniunt cum parentibus cuiuſcunq, gradus: adeò vt cum patre & matre concurrentes, auum atque auiam excludant: dūmodo ſint germani. Idem iuris illorum quoq; filijs eſt. *Nouell.* 127.

Quantum deniq; ad ſucceſſionem tranſuerſaliū. Deficientibus ſupradictis, primus locus eſt

fratrum sororumq́; vtiq; germanorum: adeò vt hi excludant fratres vterinos vel consanguineos, (quamuis in feudi successione consanguineus concurrat cum germano: si modo sit feudum ex pacto & prouidentia) Et hoc amplius, præmorientes hanc germanitatis prerogatiuam in filios filiasvé suas trasmittunt. Deinde consanguineis fratribus succedent consanguinei: similiter vterinis vterini, si soli sunt: si verò vtriquè concurrunt, communis quidem opinio consanguineis tribuit bona paterni generis; vterinis verò materni. Sed verius est, æqualiter illos succedere, sine illa distinctione: quamuis aliud multarum gentium moribus est receptum. Deniq; reliqui cognati in capita succedunt, vt prærogatiuâ gradus reliquos excludentes, ita paritate concurrentes: non habita ratione vtrinque coniuncti sint, an ab vno tantùm latere; tum superiores sint an inferiores: idq́; in infinitū. Filius tamen fratris defuncti in successione sui patrui, excludet patruum eius, de cuius successione agitur, licét vterque sit in tertio gradu, ille sursum versus, hic deorsum.

Nota, quòd quæ de successione liberorū diximus, intelligenda sint de legitimis. Nam nati ex coitu per leges damnato, veluti adulterio incestové, omnis successionis incapaces sunt.

sunt. Spurij verò, id est ex publicè impudica geniti matri succedunt, reliquisque maternæ lineæ parentibus, etiam vnà cum legitimis liberis. *l. 1. § sed. & ff. ad SC. Tertyl.* nisi mater sit illustris: huic enim non aliter spurij succedunt, quàm si legitima soboles deficit; ne stirpis claritudo colluuie istâ & memoriâ maternæ infamię dedecoretur. *l. vlt. C. ad SC. Orfic.* Deniq; naturales, id est ex concubina liberi etiam patri succedunt, vnà cum matre ipsorũ in sexantem hæreditatis: nisi ille iustos liberos vel vxorem reliquit: tunc enim nihil vltra alimenta consequuntur. Legitimati verò per subsequens matrimonium, eodem modo vt legitimi succedunt, quà parentibus, quà cognatis.

NOTA secundò, quod si nulli superstites cognati sunt, quantumcunq; etiam longinquo gradu, succedit fiscus, affinesque excludet. Affinitatis enim ratione nulla successio datur. *l. 7. C. com. de success.* non excludet tamen coniugem defuncti. *l. vn. C. Vnde vir.*

TITVLVS II.

De legitimâ agnatorum successione.

PRæcedente titulo de successione suorum fuit tractatũ à Iustin. nunc proponit pro-

ximum ab intestato succedentium ordinem, Agnatorum nempe.

Et suorum quidem numero censentur esse linea descendenti. 1. filius legitimus, ac naturalis emancipatus à patre respectu illius ex beneficio Prætoris. 2. Nepos respectu aui, filio tamen de medio sublato. 3. adoptatus ab extraneo respectu adoptantis, cui ab intestato decedenti succedit, vel solus, vel cum cæteris, si qui sint, filijs.

Agnati autem sunt, coniuncti per sanguinem masculinum. 1. fratres germani (vel frater & soror) 2. fratres patrueles, (vel sobrinus & sobrina) 3. cæteri ex transuerso coniuncti, qui iuxta gradus prærogatiuã admittuntur ad defuncti successionem. Inter quos masculi (quia familiam conseruant, publica munera obeunt, Rempub: domi, militiæque administrant) etiamsi longissimo gradu sint, vltro citroque hæreditates capiunt: fæminæ verò non item, quia de familia exeunt, sed tantùm proximitatis iure.

TITVLVS III.

De SenatusConsulto Tertylliano.

DIctum est suprà patrem inter agnatos succedere; consequens est & de successione

matris

matris ac parentum maternorum subijcere. Hoc igitur SC. Tertyllianum pietatis intuitu, aliquatenus relaxauit rigorem legis 12. Tab: (quę adeò masculis, agnatis, & perpetuitati familiarum fauebat in hæreditatibus, vt ab ijs & matrem repelleret) admittens eam ad luctuosam mortui sine sobole filij successionē: non tamen gratuito solatio, sed sub auctoramento fæcunditatis, nempe si libertina quater, aut ingenua ter peperisset.

NOTA, quòd lege Papiâ maior fuerit apud Romanos prærogatiua, & in hæreditatibus, & in honoribus capessendis, eorum, qui plures liberos suscepissent. Fuitque sub Augusto lex ista de maritandis ordinibus iterum seuerius renouata, vt notat *Suetonius in August.*

NOTA secundò, crebram apud Scriptores esse mentionem *Iuris trium liberorum*, quod quidam orbi priuilegio à Principibus obtinebant. *Plin: in epist: ad Traianum.* quidam etiā cùm liberos haberent, in maiorem securitatem postulare solebant, vt immunitate fruerentur. *l. vlt. C. de his qui num. liber. l. 10.*

TITVLVS IV.
De S C. Orficiano.

OLim lex 12. Tab. non omnes liberos, sed tantùm suos ad hæreditatem vocabat:

& consequenter matri filius non succedebat. Cæterùm hoc S. C. filius succedit matri; & quamuis matri cognatus sit non adgnatus, matris tamen adgnatis de æquitate prefertur.

TITVLVS V.
De successione Cognatorum.

ANtiquitus quidem cognati tantùm in sextum vsque gradum, adgnati verò in decimum vsque succedebant. Hodie etiam illos, cum istis sint exæquati, parem in gradum vsque succedere rectè interpretes annotant. *Couar. tract. De success. col. 11.*

NOTA vulgò quæsitos, nullos habere agnatos, quum adgnatio à patre sit, cognatio à matre, hi autem nullum patrem habere intelliguntur. Eadem ratione ne inter se quidem possunt videri consanguinei esse, quia consanguinitatis ius, species est adgnationis. Tantùm ergo cognati sunt sibi, sicut & matri cognati sunt. Itaque omnibus istis ex ea parte competit bonorum possessio, qua proximitatis nomine cognati vocantur.

TITVLVS VI.
De gradibus Cognatorum.

GRaduū distinctio necessaria cognitu est, tum ad matrimonia, tum ad hæreditaes, bonorū

bonorum possessiones, tutelas, & testimonia: circa illa obseruatur Iuris Pontificij; circa has verò ciuilis computatio.

Et de Iure Ciuili sanè tot sunt gradus, quot personæ interuenientes ex vtroq; latere ad inueniendam personam, penes quam desumitur gradus, vna dempta, siue in linea recta, siue in transuersali, tam in deferenda hæreditate, quàm in faciendo matrimonio.

De Canonico autẽ quoad faciendum matrimonium distinguas sic. aut linea est recta, & dic vt sup. aut est transuersalis. & hoc modo si contrahentium latera sint æqualia, vnũ tantùm latus attenditur, computando vt sup. si verò sint inæqualia, tunc remotius tantùm attenditur latus. eodem modo computando. At hodie de stylo Cancellariæ Apostolicæ, quando linea est recta, vel transuersalis laterum æqualium, tunc computatur, sicut de Iure Canonico: quando verò sunt inæqualia, attenditur vtrumque latus, & in supplicatione, quæ pro dispẽsatione porrigitur, vtrumq; debet exprimi, vt inter patruum v. g. & neptem in vno latere est primus gradus consanguinitatis, in altero verò est secundus. Et hæc omnia militant etiam in affinitate, ita vt omnes cõsanguinei Titij, v. g. sint affines Bertæ vxori eiusdem (eo etiam mortuo) in eo gradu, in

quo ijdem sunt consanguinei Titio, cum distinctione, quòd consanguinei propriè dicuntur coniuncti: Affines verò propriè nuncupantur attinentes.

Nota, quod ad computandum gradus cognationis oporteat scire, stipites, stirpes, lineas & gradus ipsos consanguineorum. Itaque *Stipes est* persona à qua plures aliæ descendunt. *Stirps verò est,* ipsa personarum descendentium à communi stipite collectio. *Linea* est tractus ad inueniendam personam, penes quam desumitur gradus. Et alia est recta inter ascendentes & descendentes. Alia transuersalis inter fratres patrueles, &c. *Gradus tandem est* situs vnius personæ in ordine ad aliam ab eodem stipite descendentem. qui attēditur in tutela, hæreditate; & matrimonio.

TITVLVS VII.

De Seruili Cognatione.

Cognatio inter seruos non attenditur ad rationem successionis, cuius incapaces perinde sunt vt dominij: nisi peruenerint iam ad libertatem.

Nota, quòd inter vindicatos in libertatem, sicut & inter ingenuos, quamdiu ex linea descendentium aliquis superest, excludi à successione ascendentes & collaterales.

Titv-

TITVLVS VIII.

De Successione Libertorum.

OLim licebat liberto patronum suum impunè testamento præterire; nunc, patronus in remunerationem tanti quo censetur liberto beneficij, consequitur solidam intestati hæreditatem. Condito autem per libertum testamento, tertiam saltem partem obtinere debet, si modo non infra 100. aureos libertus in bonis reliquerit, Sed vtroque in casu superstites liberto liberi tollunt prærogatiuam patroni.

TITVLVS IX.

De Assignatione Libertorum.

ADsignare libertum, est testificari cuius ex liberis libertum eum esse voluit, vt scilicet eius sit peculiaris & proprius. Si itaque patronus moritur intestatus, tunc eius filij æquis portionibus succedunt in dicto iure patronatus. Si verò testatus & cum vltima dispositione, tunc tum purè, tum in diem, tum sub conditione potest vnum libertum adsignare vni filio, qui illi succedet, alterum alteri, si plures libertos habet. Et hoc passim obseruatur in Lituania, alijsque Regni Poloniæ Prouincijs, quæ Statutis Lituanicis reguntur,

quando Nobiles, Kmetonum suorum filios in bellis strenuè sese gerẽtes, Boiaros faciunt. Hoc tantùm obseruato, vt plures filios Nobilis habuerit, libertum verò solũmodò vnum, tunc is semper minorem natu patroni sui filium, proprium absq; adsignatione patronum habebit. Quodsi tempore mortis liberti non adsint filij, patroni, tunc agnati patroni postea cognati eiusdem succedũt iuxta prærogatiuã gradus. Tandem nullis stantibus ex dictis hæreditas liberti tanquam vacans defertur fisco.

TITVLVS X.

De bonorum possessionibus.

EXacto tractatu, quomodo per hæreditatẽ acquiratur Vniuersitas bonorum: sequitur, quomodo per *Bonorum possessionem*, quæ est secundùm genus acquirendi per vniuersitatem: quæ fuit introducta à Prætore, modo ad supplendam, modo ad confirmandam, & modo ad corrigendam legem 12. Tabul.

Est autem Bonorum possessio, ius persequendi (Prætorijs scilicet & possessorijs actionibus) retinendiq; (exceptionibus) patrimonium defuncti.

Diuiditurq; primò in Edictalem & Decretalem. *Edictalis est*, quando Prætor edicto suo, omnibus

omnibus quibus intereſt proponit & pollicetur diſtinctas bonorum poſſeſſionis ſpecies. *Decretalis eſt*, quando per decretum ſingulas ſingulis, vt res tulit impartitur. Igitur edictalis & decretalis non diuidunt bonorũ poſſeſſionem in ſpecies, ſed vnam eandemq́; diſtinguunt attributis. Et edictalis repudiari poteſt: non etiam decretalis.

Secundò diuiditur in Ordinariam & Extraordinariam. *Ordinaria eſt*, quæ ſpeciatim Prætoris edicto deſcribitur. Et eſt iterum duplex; ex teſtamento, & ab inteſtato.

Ex Teſtamento rurſus diuiditur biſariam: Alia dicitur contra Tabulas, quæ datur principaliter liberis emancipatis, præteritis, aut iniquẽ exhæredatis (hi quippe iuris ciuilis auxilio deſtituebantur. *§ 3. ſup. de exhær.*) ſed interim & ſuis, ſi hoc remedio vti malunt, quàm iure dicendi teſtamentum nullum, quod ad 30. annos, perinde vt ius adeundi ſupereſt.

Alia verò ſecundùm teſtamenti Tabulas, quæ inſtitutis ſubſtitutiſq́; datur: etiam pendente conditione eos poſſidere bona permittens, vt ſi conditio deficiat, bona reſtituant legitimis hæredibus; ſin exiſtat, iure dominij retineant.

Ab inteſtato verò quadruplex hodie bonorũ poſſeſſio dicitur. *Prima. Vnde liberi*, emancipatis ne-

patis necessaria. *Secunda. Vnde legitimi*, agnatis ex abundanti comparata. *Tertia. Vnde cognati*, quæ deficientibus prædictis datur proximo cognato. *Quarta. Vnde vir & vxor*, quæ nullis ex dictis stantibus, datur vxori mortuo viro, & è contra: & ista supplet leg: 12. tab: nil dicentem in isto casu.

Extraordinaria bonorum possessio, non comprehensa in ordine edicti vocatur *vt ex legibus* (excogitata instar conditionis ex lege, de qua ad C.) competens ei cui ex lege nouâ defertur successio, § 4. h. non cadens in speciem aliquam adipiscendæ hæreditatis vel bonorum possessionis vsitatam atque receptam: veluti si constituatur, vt Canonico, sine parentibus morienti, siue testato, siue intestato, succedat Collegium, vel Ecclesia. *Crass: vbi sup. quæst: 29.* Talis etiam est bonorum possessio vētris, per quam vxor grauida in defuncti mariti bona, ex ijs interim alenda, mittitur, donec pariat, vel liqueat eam non esse grauidam. *l. 1. de ventr. in bonor. poss.*

Nota, quod bonorum possessio ab hæreditate vt origine differt, ita & nomine; ne auctoritas ius dicentis custodientisq; confundatur cum potestate condentium iura; quia hæreditas iuris ciuilis est, bonorum possessio ex iurisdictione prætoris, & quidem à liberis intra annum,

tra annum, à reliquis intra 100. dies vtiles est agnoscenda. Dies autem vtiles sunt, quibus sciuerit sibi delatam esse possessionē bonorū, quibusq́; eam à Prætore petere potuerit, his opponuntur dies continui. Dies autem quibus aut nec sciuerit, aut petere non potuerit, illi non cedunt. *l. vtile. quis ordo in bonor. poss.*

TITVLVS XI.

De acquisitione per arrogationem.

TErtium genus acquirēdi dominij per vniuersitatem hic explicatur: dum scilicet in potestatem arrogatoris, vnà cum sobole suâ & patrimonio, transit arrogatus; non quidem lege 12. Tabularum, neq; Prætoris edicto, sed eo iure, quod moribus & consuetudine populi receptum est.

TITVLVS XII.

De eo cui libertatis causa bona addicuntur.

QVartum genus acquirendi dominij per Vniuersitatem introductum est fauore conseruandarum libertatum, quæ testamento datæ simul cum eo periclitātur, vbi & scriptus & legitimus hæres adeundâ hæreditate deterrentur mole æris alieni: tunc enim si quili-

quilibet, vel fiscus, vel etiã manumittendorum aliquis, paratus est idoneè cauere (id est satisdato, aut pignoribus datis) creditoribus, ei id petenti addicit vniuersa defuncti bona Iudex.

TITVLVS XIII.

De successionibus sublatis, quæ fiebant per bonorum venditiones, & ex SC. Claudiano.

DVæ partes sunt huius tituli. *Prima*, abrogatur quintus modus acquirendi vniuersitatem, *Bònorum emptio*: qua scilicet debitoris bona à creditore in ius vocati, si non comparuisset, Edicto Prætoris possideri iubebantur, iisque vendendis Magistri constituebãtur. postquã in celeberrimis locis per libellos venalia pependissent. Hoc quia cũ infamia erat debitoris, ideo extirpatis bonorum venditionibus, tantummodò creditoribus datur officio Iudicis bona possidere.

Secunda parte abrogatur sextus modus acquirendi vniuersitatem per Senatusconsultum Claudianum, quo statutum fuerat, vt si libera mulier nesciẽte domino coiuisset cum seruo eius, transiret in potestatem illius cum patrimonio toto: sin verò dominus consensisset, tantùm eius liberta foret. Hoc SC. quãuis à Vespasiano renouatum, tanquam nimis

asperum

aſperum, abrogauit Iuſtinianus, quia per leges ſtupri pæna non eſt ſeruitus: iam autem abſurdum eſſet, vt nequitia ſerui lucroſa domino foret. § *2. h. l. vn. C. de SC. Claud.*

TITVLVS XIV.

De Obligationibus.

DVo cōſideranda ſunt in rebus ſecundùm Iuriſperitos, *Dominium & Commertium* illarum: de dominio hactenus tractatum eſt: de commertio autem quòd conſiſtit in *contractibus*, nunc tractandum: Itaq; vis omnis contractuum in *obligatione* cernitur, quæ à dominio ſic eſt diſtincta, quòd dominium ſit ius in re, obligatio autem ius ad rem, (nempe petendam à debitore) vel potius ius in perſonam debitoris, ex quo is compellatur dare, tradere, aut facere quidpiam.

Obligatio ergo eſt iuris vinculum, quo quis neceſſitate adſtringitur alicuius rei explendę.

Et eſt quadruplex: Naturalis, Gentium, Ciuilis & Mixta, pro iurium adſtringentium diuerſitate. Vnde à Iure tanquam à cauſa efficiente remota pendet: ab homine verò tanquam ab efficiente proxima: ab actu tandem hominis, vel ſimpliciter, vel vt ſic, tanquam ab inſtrumento; primò quidem modo cau-

ſante

sante delictum, vel quasi delictum; secundò autem modo contractum, vel quasi contractum. Et hi omnes *Conuentionis* nomine veniunt, sicut prædicti nomine *Delicti*.

Conuentio itaq́ (nomen generale) est: duorũ vel plurium in idem consensus de dando vel faciendo aliquo. *l. 1. ff. de pact.*

Et diuiditur in Pactum & Contractum.

Pactum rursus, aliud est *nudum* non habens causam, vt est pollicitatio, seu offerentis promissum: & aliud *legitimum*, causa aliqua vestitum, vt est contractus tam proprius seu expressus, quàm improprius seu tacitus.

Nudum pactum vel est gratuitum, veluti pactum donationis, aut liberationis: vel non gratuitum, veluti transactio, quando aliquo dato vel retento controuersia alicui remittitur.

Contractus autem est conuentio ex qua oritur vltrò citroq́; efficax siue ciuilis obligatio.

Et est duplex, alius Nominatus, & alius non Nominatus, vt do, vt des, facio, vt facias, &c.

Nominatus deinceps, vel est Iuris gentium, vt factus Re, aut Consensu,: vel Iuris Ciuilis, vt factus Literis, aut verbis: de quibus titulis sequentibus sigillatim.

TITV-

TITVLVS XV.
Quibus modis re contrahitur obligatio.

OBligationis re contractæ quinq; sunt species seu exempla: *Mutuum, Indebitum, Cõmodatum, Depositum, & Pignus.*

MVTVVM est contractus, quo res quæ pondere, numero vel mensura constant, in alium trasferuntur ea lege vt restituat tantundem; id est eandem non modo quantitatem, sed & qualitatem: de eodem videlicet genere, non verò eandem speciem. Nam Mutuum à mutatione dicitur, quia quantitas cum quantitate mutatur, & in his rebus consistit, quæ facilè mutationem & promiscuum vsum recipiunt. Et ex hoc contractu nascitur actio, quæ vocatur *Certi condictio.*

INDEBITVM est contractus, quo re ipsa obligatur resticuere acceptam rem ab illo, qui per errorem non debitum illi soluerat. Quod ni fecerit, datur agenti cõtra eum propter repetitionem *condictitia actio.*

COMMODATVM est contractus, quo vsum rei nostræ, ita alicui gratis concedimus, vt eadem nobis reddatur in specie: & nisi reddiderit, tenetur *commodati actione.*

Differt autem Cómodatum à mutuo quatuor modis: *Primò,* materiâ: quia in ijs rebus

consistit, quæ vtendo non pereunt, quæ autem mutuo accipiuntur, consumuntur, vt vinum, oleum, frumentum, &c. *Secundò*, effectu; nam vsum tantùm rei transfert. *Tertiò*, fine: ideoq́; idem corpus reddendum est commodanti. *Quartò*, Forma: quod ad certum vsum traditur, quo expleto reddi debet. Dicitur enim commodatum, quasi cum modo datum, quo distinguitur à precario. *l. 1. ff. de prec.*

DEPOSITVM est contractus per quem gratis aliquis recipit custodiam rei alienæ sibi commissæ: vnde & Commẽdatum vocatur. Et est duplex: Aliud Depositum in specie, si res sit mobilis. Et aliud Custodia, si immobilis: dum tamen res non sit litigiosa, alias Sequestrum appellaretur.

Est autem Sequestratio, conuentio seu placitum partium, quo custodiam rei nostræ litigiosæ, committimus alicui vt eadem nobis vel parti aduersæ ex sententia iudicis reddatur. Et est duplex: Conuentionalis & Iudicialis.

Sequestratio Conuentionalis est, qua de consensu aduersarij rem litigiosam alicui custodiendam tradimus. Et sequestratario acquiritur possessio relaxanda vincenti.

Sequestratio Iudicialis est, qua Iudicis auctoritate, ipsis etiam litigantibus inuitis, alicui rem liti-

rem litigiosam ita confidimus, vt eadem ex mandato Iudicis, vel partis consensu reddatur, cui reddenda venit. Et ipsi litigantes non priuantur possessione illius, sed tantùm dubia redditur, donec restituta iudicis auctoritate stabiliatur.

Fit autem Sequestratio ex causa tantùm vrgentissima (nisi detẽtor fideiussoribus caueat) *Primò*, si detinens rem immobilem sit de fuga suspectus. *Secundò*, si sit dubium de dilapidatione rei immobilis. *Tertiò*, si sit periculum veniendi ad arma. *Quartò*, si alter litigans sit contumax in præstanda cautione de facienda bonorum collatione alteri. *Quintò*, si seruus, prætextu quòd dominus sit tantùm putatiuus, ad libertatem proclamauerit, fit enim tunc de illo ipsa sequestratio.

PIGNVS est contractus, per quem debitor creditori in securitatem obligationis tradit rem aliquam. Et est duplex: Aliud pignus in specie, & aliud Hypotheca.

Pignus in specie est, quando res mobilis pugno creditori traditur, vt vas argenteum.

Hypotheca est, quando res immobilis, vt domus, aut fundus, creditori obligatur. Qui statim ac ei solutum est debitũ tenetur rem oppignoratam restituere, aut si in Hypoteca est, ab ipsa rei possessione discedere. Idemque si

res deperdatur, vel deterioretur, de Dolo, lata culpa, ac leui, tenetur: non item de leuissima, vel de casu fortuito.

Vt enim discerni possit, si res alienæ, vel alijs debitę ex supradictis contractibus, penes nos perierint aut corruptæ fuerint, ad cuius id damnum pertineat: animaduertendum est, an necessitate id acciderit, aut inuictâ ignorantiâ, an voluntate nostra & consilio, an deniq; medio quodam modo, neq; planè ignorantis & coacti, neq; prorsus scientis & volentis. Ex primo genere existit *casus fortuitus*: ex secundo *dolus*: ex tertio *culpa*. Quæ sanè distinctio per omnes iuris partes diffunditur, & præcipuè delictorum pænas distinguit & temperat.

Igitur *Casus fortuitus est* infortunium, quod neq; consilio nostro præuerti, neque viribus auerti potest, veluti inundatio fluminũ, mortalitas pecorum, frugum calamitas, &c. Vnde etiam *vis calamitosa, vis diuina, aut vis maior* appellatur, itemq; *casus improuisus, fatum, vel damnum fatale.* *Dolus verò est*, quæcunque machinatio ex destinata voluntate in damnum alterius. *l. 1. ff. de Dol.*

Culpa deniq; est, negligentia vel imperitia quæcunq; alteri damnosa. Et distinguitur in *latam, leuem, & leuissimam.*

Latæ

Latæ culpæ fines ſunt, non proſpicere, curare, cauere, quod omnes ſanæ mentis prouident, & procurant: ideoque doli ſuſpicione non caret, vocatutq; *Dolus præſumptus*, ſiue ex verſutia, ſiue ex ſocordia procedens: doloq; comparatur, & ſub eo comprehenditur in pecuniarijs ſaltem negotijs. Diſtinguitur tamen à dolo, quod ille voluntate deſtinata & imperante; iſta voluntate remiſſa & permittente conſtet: & dolus in commitendo, lata culpa magis in omittendo cernatur.

Leuis culpæ, verò modus duplex eſt. Alia enim exiſtit non adhibitâ alienis negotijs eâ diligentiâ, quæ adhiberi proprijs ſolet. Alia autem omiſſa eâ diligentiâ, quam præſtare diligens paterfamilias ſolet. Quemadmodū *leuiſſima culpa* committitur neglectâ ea ſedulitate, quam diligentiſſimus quiſque præſtat: ideoque ei opponitur exactiſſima diligentia. Veluti, ſi quis nocte oſtium domus apertū liquit, latæ culpæ reus eſt. Leuis verò, ſi non clauſit feneſtras altiores quàm vt de plano intrari poſsēt. Leuiſſime deniq; ſi quis feneſtras verſus publicum, remotioreſq; à locis in quibus dormiunt domeſtici, non muniuit ferreis perticis. Quodſi nihil horum argui poſſit, & res ſublata ſit, furibus verbi gratiâ, per effoſſum limēingreſſis, id dicetur caſu accidiſſe

TITVLVS XVI.

De Verborum obligationibus.

EX quatuor formis obligationum, quæ ex contractu nascuntur, hæc secunda est, ex contractu verborum descendens. Contrahitur autem obligatio verbis, ex interrogatione & responsione, cùm quid dari fierivé nobis stipulamur; vt promittis mihi centum aureos v. g. & tu respondeas, promitto.

Est autem Stipulatio duplex: alia certi, alia incerti. *Stipulatio certi est*, rei nimirum substantiâ, qualitate, quantitate designatę. *Incerti est*, quando res promissa nullos habet certos fines, vt fundus, non adiecto nomine, frumentum non designata mensurâ, domus ædificatio, non demonstrato loco; quæ sanè incertitudo vitiat stipulationem. Illa igitur *Condictionem certi*: ista, *actionē ex stipulatu* producit.

Item stipulatio vel *dandi* est, vel *faciendi*. Vtraque autem, aut purè, aut in diem, aut sub cōditione fit. *Purè*, veluti. Quinq; aureos dare spondes? *In diem*. Decem aureos primis Calendis Martijs dare spondes? *Sub conditione*, si Titius consul fuerit factus, quinq; aureos dare spondes? *Loca* etiam stipulationi solent inseri, vt Carthagini dare spondes?

TITVLVS XVII.

De duobus Reis stipulandi & promittendi.

DVo *Rei stipulandi* vocantur, quibus ab vno eadem res coniunctim singulis nempe in solidum promittitur; vel etiam à pluribus, qui *Rei promittendi* dicuntur. Nam ad stipulationem faciendam saltem duæ personæ requiruntur, vna ex parte interrogationis, quæ dicitur Reus stipulandi, altera responsionis, quæ promittendi, vt, promittis mihi centum aureos? & tu respondeas, promitto. In eadem tamen numero stipulatione possunt plures Rei (Rei autem non tantùm dicuntur criminis accusati, vel etiam à quibus in Iudicio petitur, sed generaliter ij de quorũ re agitur) promittendi, & plures Rei stipulandi interuenire, ita vt quilibet stipulantium acquirat in solidum actionem, & quilibet promittentium obligetur ad solidum: quorum tamen vno soluente, suos deobligat correos, sicut vno ex primis recipiente in cæteris actionem perimit.

TITVLVS XVIII.

De Stipulatione Seruorum.

SEruus cùm sit veluti quoddam instrumentum animatum, nihil acquirit sibi, sed do-

mino: Siue igitur stipuletur sibi quid dari, siue conseruo, siue indefinitè non comprehensa personâ, totum redundat ad dominũ. Tunc enim, cùm indefinitè, intelligitur sibi stipulatus: sed ad personam domini refertur obligatio, qui eius obtinendæ capax est, non etiam seruus. Nisi tamen stipulatus sit quod facti est, v. g. vt liceat sibi ire per fundum Titij: inde enim non dominus, sed tantùm ipse ire potest. quia quæ facti magis sunt, quàm iuris ad seruum pertinere possunt. *l. 44. ff. de Con: & dem. l. 3.* cùm in ijs ius naturale spectetur. Præterea non vt res vel quantitas cuicunque soluatur, tantundem est, sic etiam in factis per quem fiant idem est.

Quod si seruus plurium ex mandato vnius vel vni expresè stipuletur; ei soli acquirit, alias omnibus pro partibus dominij quod in eo singuli habent. nisi in personâ alicuius inefficax sit stipulatio: tunc enim huius pars accrescet consortibus. Quod verò seruus hæreditarius stipulatur ante aditam hæreditatem, eidem acquiritur: atq; ita hæreditati permixtum perueniet ad eum qui adibit hæreditatẽ.

TITVLVS XIX.

De Diuisione Stipulationum.

STipulationes ex doctrina Iustiniani quadritari-

drifariam diuiduntur, in Conuentionales, Iudiciales, Prætorias, & communes, id eſt, tam Prætorias, quàm Iudiciales.

Conuentionales ſunt, quæ libera partium voluntate interponuntur, & tam latè patent atque conuentiones: ad quas confirmandas in nouiſſimâ ferè parte pactorum inſeri ſolent.

Iudiciales ſunt, quæ Iudicis de cauſa cognoſcentis officio exiguntur.

Prætoriæ ſunt, quæ extra iudicium ſolius imperio Prætoris, vel qui ei in Prouinciâ comparatur, Præſidis, expediuntur, vt cautio damni infecti: per quam ruinoſarum ædiũ poſſeſſor vicino promittit de reſarciendo damno, ſi quod inde acciderit. His coniunguntur Ædilitiæ: nam & Ædiles de quibuſdam rebus, v.g. venditorem de ſanitate pecoris cauere iubebant.

Deniq; *Communes ſunt*, quæ aliquando Iudicis, alias Prætoris auctoritate conficiuntur, vt cùm tutor de indemnitate pupillo cauet. § 5. *h.* Sanè alio adſpectu *Prætoriæ Stipulationes ſunt*, quæ ex iuriſdictione atq; edicto Prætoris deſcendunt: atque tunc hoc generis nomen tres iam dictas ſpecies comprehendit: & ab Vlp. *in l. 1. de Prætor. Stipul.* Prętorię reſpectu materiæ diſtribuuntur in *Iudiciales*, quæ ad iudicium ſtabiliendum pertinent, veluti

Iudicatum solui: in *Cautionales* quæ nouam actionem producunt, vt rem pupilli saluam fore: & deniq; in *Communes*, vt iudicio sisti.

TITVLVS XX.
De Inutilibus Stipulationibus.

QVemadmodum quatuor modis (vltra sex illos modos quibus firmatur actus) firmatur Stipulatio. *Satisdatione*, videlicet diuisa in Fideiussoriam, Pignoratitiam, Iuratoriam ac Promissoriam, quarum prima tantùm firmat stipulationem, quæ tam præcedere, quàm sequi potest obligationem ipsius principalis. *Constitutione*, qua quis citra stipulationem rogatus, se id, quod ipsemet iam, vel alius ciuiliter obligatus est, expleturum spondet, & hæc obligationẽ principalis sequitur. *Promissione*, qua quis citra stipulationem non rogatus se id, quod promisit, expleturum spõdet: & hæc pariter sequitur obligationem ipsius principalis. *Et ex promissione*, qua quis citra stipulationem se id, quod alius naturaliter tantùm obligatus est, expleturum spondet, vt si tibi promittam, quod iam pupillus tibi stipulanti promisit.

Ita quinq; modis redditur inutilis stipulatio. *Primò*. si in ea sit apposita conditio impossibilis vel turpis.

Secundò.

Secundò. si promittentis dissensus interuenerit existimantis aliud fuisse in interrogatione, quàm verè fuerit.

Tertiò. si deducta fuerit in stipulationem res inhabilis deduci, vt res extra nostrum patrimonium, vel factum alienum.

Quartò. si interuenerit personæ inhabilitas, vt quia alter stipulantium erat surdus, vel mutus, vel infans, vel prodigus interdictus.

Quintò. si formæ defectus interuenerit, si nimirum congruè interrogationi non respõdeatur, vt si interrogetur quis, an promittat dare decem aureos, & is respondeat promittendo se daturum quinq; Inter absentes quoque facti stipulatio vim nullam habet.

TITVLVS XXI.

De Fideiussoribus.

F*Ideiussio est* contractus, qui verbis constat, accedens firmandæ obligationi alienæ; dũ scilicet pro debitore principali alius præterea fidem suam interponit apud creditorem, eáq; succedaneam facit si contigerit debitorem fide vel bonis deficere.

Possunt autem fideiussores adsumi in omnibus obligationibus, id est, siue re, siue verbis, siue literis, siue consensu contractæ fuerint: quì

rint: qui his tribus priuilegijs gaudent. *Primò*, vt in plus non obligentur, quàm principalis debitor, cùm plus in Accessione esse non debeat, quàm est in re principali. *Secundò*, vt nõ possint molestari ante excussionem principalis: nisi fideiussor in solidum sit obligatus. *Tertiò*, quod si sint plures confideiussores, quisq; non molestetur nisi pro rata, dum tamen vtatur beneficio epistolæ Adriani Imperatoris, quod dicitur Exceptio diuisionis: nisi vt supra sint in solidum obligati, vel quilibet interuenerit animo nouandi obligationem.

TITVLVS XXII.

De Litterarum Obligationibus.

O*Bligatio litterarum est*, conuentio litteris concepta, quarum vi tantùm aliquis tenetur ad aliquid explendum. Vt si tibi chirographum feci, in quo fatear me decem aureos à te mutuos habuisse, quos verè mihi nõ numerasti, ex vi solius talis scripturæ eos tibi sum obligatus restituere. Idq; adeò obtinet, vt nec liceat debitori adigere creditorem iureiurãdo, vtrum numerauerit pecuniã necne. *l. in contractib. 14. § illo C. de non num. pec.* Si igitur quis opinione numerandæ sibi à creditore pecuniæ, ei tradidit cautionem, quâ scilicet ac-

licet accepisse se pecuniam, & redditurũ profiteatur: is non secutâ forte numeratione, potest in iudicio repetere cautionem: sed non nisi intra biennium: post quod querela hæc proponi non potest. Vnde deinceps obligatus manet ex chirographo, id est literis: non enim ex re, quippè quæ non intercessit, sed neque ex verbis, neque ex consensu, quem vtriq; excludit error. § *vn. h.t. aliter Forcatul. dial. 75.*

TITVLVS XXIII.

De Obligationibus ex Consensu.

SEquitur genus contractuum quartum numero, eorum scilicet qui consensu perficiuntur: Non quin is in reliquis quoq; iam dictis desideretur, tanquam communis omnium spiritus (genus quippe eorum est conuentio) sed quòd in hoc genere emineat, quod nihil requirit præter voluntatem mutuam. Vnde etiam in his cõtractibus alter alteri obligatur ad præstandum non id modò quod verbis cautum est, sed quidquid ex mente cõtrahentium actum fuisse, conditio negotij, & rei æquitas, atque fides ipsa euincunt. Et proinde hi contractus *Bonæ fidei* appellãtur: quod bona fides largiore interpretatione spectetur in his, quippe magis necessarijs ad vitæ societatem:

tatem: idq; ad differentiam contractuum *stri-ctiiuris*, vt sunt innominati contractus (excepta permutatione, & æstimatoria actione) item stipulatio& mutuum, in quibus non aliud inuicem partes præstant, quàm quod disertè cautum est. Non verò idcirco bonæ fidei appellantur, tanquam in aliquibus mala fides admittatur: dolum enim ab omni negotio leges excludunt. *l. 23. ff. de reg.*

Contractus igitur *consensu factus* est conuentio consensu concepta, cuius tantùm vi aliquis tenetur ad aliquid explendum.

Estq; quintuplex. Emptio & Venditio, Locatio, & Conductio, Societas, Mandatum, & Emphyteusis: de quibus postea singulis tractabitur titulis.

TITVLVS XXIV.

De Emptione & Venditione.

PRima species obligationis ex consensu est Emptio & Venditio, quæ contrahitur simulatq; de precio conuenerit: quãuis nondum precium numeratum sit, ac ne arrha quidem (quæ firmandarum obligationum gratia datur) data fuerit. Nam quod arrhæ nomine datur, argumentum est emptionis & venditionis contractæ. Ac proinde arrha prærogatiua precij suo tempore persoluendi à Varrone vocatur. *lib: 5. de ling: Lat.*

Est au-

Est autem Emptio & Venditio contractus, per consensum in mercem preciumq́; certũ, obligans hinc venditorem ac mercem tradendã, & inde emptorem ad precium numerandum. Precium autem in numerata pecunia debet esse, alias nõ Emptio vẽditio, sed Permutatio erit. Item debet esse precium certum inter partes conuentum, aut in arbitrium alterius collatum, cui statur; nisi vt iniquum, reducendum sit arbitrio boni viri ad ipsam æquitatem. Hinc

NOTA, requiri mutuum ipsorum contrahentium consensum, expressum, liberum ac præsentem: Vnde seruus non potest emere, vendere, nec filiusfamilias, vt sic, nec pupillus, nec furiosus actu, nec mentecaptus, nec prodigus interdictus; nec toto pupillo, nec è contra, nec qui præest subdito, &c. nec tenet venditio facta per dolum, vel errorem circa substantialia, nec per vim facti: secus, si per vim Iuris, vt si dominus sæuiat in seruum.

NOTA secundò, quod res extra nostrum commertium (vt homo liber) vendi prohibentur: item res Ecclesiæ: nisi ex causa; res furtiua: vi possessa: liberi hodie à parentibus: res dotalis: res subiecta fideicommisso, saluo fauore alimentorum, vel dotis, donati-

onisvé

onisvé propter nuptias, vel ob necessitatem, vel cum decreto Iudicis.

NOTA tertiò, quòd Emptio venditio tripliciter perfecta dicitur: *primò*, respectu obligationis natæ, per quam scilicet à placitis recedere non liceat: *secundò*, respectu executionis, quia hinc merx, inde pretium traditum sit: *tertiò*, ratione periculi ad emptorem spectantis, cùm res pondere, numero, vel mensura constans, appensa, adnumerata, admensa est. Alioqui vt interitus mercis respiciat emptorem, non vtique necesse est possessionem nactus sit, si modò nulla venditoris mora, nec eius leuis culpa arguitur: quemadmodum & commodum atq; accessio rei venditæ etiam ante traditionem ad emptorem spectat. Aliud est in contractibus innominatis, in quibus res ante implementum periculo debitoris est.

NOTA vltimò, quod quando venditio est in facto esse, re integra potest solo partium dissensu rescindi: re verò non integra, nonnisi per Retrovenditionem. At quando est in fieri simpliciter, vt cùm de precio adhuc non est conuentum, potest alter contrahentium, altero etiam inuito ab illa recedere, si autem sit in fieri ex suppositione pacti de reducendo v. g. illam ad scripturam, potest, concluso

etiam de

etiam de precio, ab eadem recedi, donec vltima syllaba fuerit expleta.

TITVLVS XXV.

De Locatione & Conductione.

SImilis admodum Emptioni & Venditioni est Locatio & Conductio, secunda species consensu obligationum, quæ definitur sic:

Est contractus per quem vsus rei vel operarum alicuius, ad certum tempus nobis conceditur pro cõstitutâ mercede. Locare enim est dare aliquid vtendum, vel faciendũ. Conducere verò accipere aliquid vtendum, vel faciendum. *Locator* igitur is erit, qui mercedẽ siue pensionem accipit, nempe dominus rei. *Conductor* autem, qui eam præstat, nempe colonus pro fructu fundi, inquilinus pro vsu ædium.

Locatio itaque & Conductio in hoc differt à Venditione, quod per eam id agitur, vt ipsa res alienetur: per locationem autem tantùm vsus rei in alium transfertur. Item, Venditio habet pretium, Locatio mercedem: & in illa emptor tenetur de dolo & alijs, in ista conductor tantùm de ipso dolo. Si itaque conuenisti cum aurifice de faciẽdis tibi schyphis pro certa pecuniâ: siquidem ex eius argento

fabricandi sunt, venditio est: sin ex tuo, locatio est. Illo enim casu proprietatem rei suæ in te transfert; isto verò, vsum artificij in re tuâ collocat.

NOTA primò, quòd pensio ad pecuniam, reditus ad frumenti, aut rerum similiũ mensuram in annos singulos cõstitutam refertur.

NOTA secundò Locationem, Conductionem esse contractum Bonæfidei, in quo multa quæ non dicta, nec fortè cogitata erant, venire æquum est, veluti vt conductor, qui in mercede soluenda moram fecerit, vsuras de quibus nihil dictũ est, soluat. *l. 2. 12. 17. C. eod.*

NOTA tertiò, quod *actio locati* competit locatori ad persequendã pensionem. *in princ. h. t.* sed ad eius remissionem aut diminutionem aliquando tenetur locator, ob vsum vel fructus fortuito interuersos, id est vastatos, si nempe deductis expensis, vltra dimidium iusti precij fraudaretur colonus soluendo pẽsionem. *Actio verò conducti* datur conductori contra locatorem non præstantem vsum rei conuentæ.

NOTA vltimò, in omni locationis contractu tacitè & naturaliter inesse hanc pactionẽ, *tempore locationis non iri expulsum conductorem.* Verumtamen quatuor sunt causæ iustè exigendi domo conductorem ante elapsum cõ-
uentæ

uentæ habitationis tempus. *Primò*, si pensionem non soluat. *Secundò*, si perperam & noxiè versetur in domo *Tertiò*, si collabentes locator ædes velit restituere. *Quartò*, si suboriatur necessitas per quam ipse indigeat habitatione domus. v. g. si quis ruri habitans, ad magistratum vrbanum vocetur. *l ædem C. locat.*

Cæterùm quia Locationi simillima est Emphyteusis, quinimò pars eius altera idcirco hic breuiter de illa dispiciamus.

EMPHYTEVSIS igitur est conuentio qua in perpetuum, aut ad certam vsque posterorũ seriem gradumq; alicui fruẽdus traditur fundus, retento directo, & translato vtili dominio, quamdiu scilicet pensio præstatur.

Distinguitur autem hic contractus à Locatione, Conductione, & ab Emptione, Venditione, multis ex causis. *Prima*, quia Locatio est ad certum tempus: Emphyteusis autem in perpetuum. *Secunda*, quia ad emptorem spectat casus fortuitus: ad Emphyteutam verò non redundat totius rei interitus, sed tantùm deterioratio. *Tertia*, quia venditionis contrapassum est pretium; Emphyteusis merces aut pensio, de qua supra.

OBSERVA, quòd neq; alienare ius suum Emphyteuta potest, nisi domino consentiente (is enim, si vult, præferetur extraneo em-

ptori: vel in eum consentiens, habebit quinquagesimam pretij partem) neque impensas, quas in perpetuam agri vtilitatem fecit, repetere à domino (quia hæc origo huius & nominis, & contractus, vt fundi steriles perpetuò fruendi alicui traderentur, vt eiusdē tanto propensiore curâ & impensiore culturâ fierent meliores) per quod ipsum differt à colono, cui refundendæ sunt tales impensæ: nō etiam quas ad fructuum perceptionem facit solito more. Alioqui ne quidem modicè expendere cogitur in ea quę vltra conductionis tempus durabunt.

TITVLVS XXVI.

De Societate.

Tertia species consensu obligationum est Societas, quæ sic definiri potest:

Societas est contractus, quo inter plures, res aut operæ, siue lucrum & damnum inde obuentura communicantur. Estq; vel Vniuersalis, vel Generalis, vel Specialis, vel denique Particularis.

Vniuersalis Societas est cōmunicatio vniuersorum bonorum, quæ etiam hæreditates & legata, & donationes socio quæsitas in communionem deducit. Atq; hæc non expressè tantùm contrahi potest, sed & tacitè: veluti si fratres

si fratres post mortem patris, bonis indiuisis, lucris communicatis, & nec redditâ, nec petitâ ratione vixerint. Quales nostra ætate Georgium & Christophorum Duces Zbarauios, rarissimum fraterni amoris exemplum in Polonia vidimus, qui supremis ferè in Repub. honoribus præditi, non patrimonij tantùm prouentus, sed alias quoq; obuentiones, cõmunes inter se habuerunt.

Generalis Societas est arctior illa priore, vtputa ad communionem eorum tantùm pertinens, quæ quotidiano quæstu quæruntur. Atque de eâ intelligetur actum esse, societate simpliciter siue indistinctè contracta. In hac igitur omnia lucra sunt cõmunicanda, bona verò præsentia tantùm: in illa autem priore cõmunicãda sunt tam bona & lucra præsentia, quàm etiam futura.

Specialis Societas est, quæ est de bonis in specie, vt de vino v. g. & in hac vltra sortem cõmunicantur etiam lucra ex tali negotiatione facta.

Particularis deniq; est, quæ est de bonis in particulari, vt vino Albano v. g. oleo Tiburtino, &c.

NOTA de partibus lucri & damni. Aut enim socij non sunt pacti de illud diuidendo sic, vel sic; & tunc iuxta portionem capitali-

um Arithmetica proportione seruata, si sunt æqualia, vel Geometrica, si inæqualia, lucrũ diuidi debet. Aut socij pacti sunt de illo diuidendo: & tunc. Vel. 1. pacti sunt de participando lucro pro rata capitalium. Vel. 2. de maiori lucro, & maiori damno participando, quamuis capitalia sint æqualia. Vel 3. de maiori lucro, & minori damno. Vel. 4. de participando aliquid de lucro, & nihil de damno; is tamen solus, aut operam simpliciter, aut precîosiorem, præstat, & semper tenet, Vel. 5. pacti sunt, quòd vnus totum lucrum habeat, & alius totum damnum: & hæc velut societas leonina, non tenet. Tenet autem hæc regula generalis in lucri damnique distributione. *Cessante pacto, ex interpretatione iuris æquales erunt partes. Quodsi partes tantùm circa lucrum definitæ fuerint, eædem intelligentur & in damno.*

Nota secundò, quod nouem modis finiatur Societas *Primo* morte, siue naturali, siue ciuili, maxima videlicet, vel media capitis diminutione alterutrius sociorum. *Secundo*, impositione finis ipsi negotio. *Tertio*, perēptione rerum societatis. *Quarto*, si alter ex socijs cædat bonis. *Quinto*, renunciatione, tum ab vno ex socijs cum facta causa, tum ab omnibus, etiam sine causa. *Sexto*, stipulatione, qua prima

prima ſocietas in aliam, aut alium contractũ, nouatur. *Septimo*, publicatione bonorũ vnius ex ſocijs; ſi bonorum ſit ſocietas: ſecus ſi induſtriæ. *Octauo*, aduentu temporis, ſi ad tempus ſit facta. *Nono*, intentatione iudicij ab altero facta de diſſoluendo ſocietatem, ſi cæteri ſocij velint: alias is ſolus remanet obligatus, optione alijs ſeruata continuandi, vel nõ ipſam Societatem.

Socius autem tenetur eam adhibere diligentiam, in rebus ſocietatis, quàm in ſuis tantùm rebus adhibere ſolet. Vnde tenetur de dolo, ac lata culpa, illi in ciuilibus æquiparata: item de leui, & non vltra. Finita verò ſocietate, cuique ſociorum datur actio directa pro ſocio: eorum verò hæredibus, vtilis tantum.

TITVLVS XXVII.

De Mandato.

QVarta ſpecies conſenſu obligationum eſt Mandatũ, quòd à manu (quæ fidei ſymbolum eſt) datâ dicitur. &

Eſt conuentio qua quis alterius negotium voluntariè in ſe explendum ſuſcipit. Diuiditurq; in expreſſum, & tacitum mandatum.

Expreſſum eſt, de quo tantum propriè hic, pro quo datur Mandatario, vel tertio, ipſa

Mandati actio directa, Mandanti verò contraria: eorum verò hæredibus vtilis tantùm.

Tacitum est, quod quasi contractus dicitur, de quo infra.

Expressum aut Mandatum, aliud est à causa formali, aliud à causa finali, & aliud à causa materiali.

A causa Formali deinceps, aliud est purum, aliud conditionale, aliud ad diem, & aliud ex die: in omnibus hisce autē vltro citroq; obligantur mandator & mandatarius: ille vt hunc indemnē seruet, restituto si quid in negotia impendit, etiamsi successu ea caruerint, dūmodo citra culpam ipsius. Ipse verò mandatarius vicissim & principaliter obligatur ad implendum negotium: namque id ab initio quidem liberum fuit non suscipere (quæ est omnium natura contractuum) postquam verò suscepit, decipere non debet. Itaque si neglexerit, tenetur mandati, quanti eius interest curatum fuisse negotium.

A causa Finali verò fit 1. vel gratia mandantis tantùm. 2. vel aliena tantùm. 3. vel mandantis & aliena tantùm. 4. vel mandatarij & aliena tantùm. 5. vel gratia omnium prædictorum simul: & semper nascitur Mādati obligatio, & Actio. 6. vel gratia tantùm Mandatarij: & habet rationem consilij tantùm, nec

actio-

actionem parit: nisi consilium sit fraudulentum, & dans illud sit author tertiæ personæ.

A causa deniq; Materiali, Aliud mandatum est *generale*, ad omnia negotia, vel lites, vel ad vtrumq; siue simpliciter, siue cum libera facultate. Aliud *speciale*, ad aliqua tantum negotia destinatum; quod ita aliquãdo requiritur, vt non sufficiat generale (nisi Mandantis iuramentum interuenerit) vt 1. in causa matrimoniali. 2. præstationis iuramenti de calumnia. 3. in causa postulationis suspecti Tutoris. 4. in causa petitionis restitutionis in integrum. 5. in exactione per procuratorem facienda à suo comprocuratore. 6. in causa contra generum mandantis: nisi mandatum generale sit cum libera facultate, tunc enim æquiparatur speciali. Quod speciale non sufficit in casu requirente mandatum in indiuiduo, vt si, 1. agatur de renunciatione sententiæ transitæ in rem iudicatam. 2. de resoluẽdo contractum. 3. de paciscendo. 4. de dote. 5. de legitima. 6. si Mandantis præsentia exigatur: potest tamen hoc mandatum aliquando extendi ad casum similem casui expresso in mandato: nisi in eo expressa sit particula, Tantùm v. g.

NOTA, quod mandatum ex amicitia pendeat, atque ideo gratum sit: merces enim cõ-

traria est amicitiæ, sed relatio gratiæ conuenit; ideoq; non desinit esse mandatum, promisso Honorario: pro quo non competit Actio efficax.

Nota secundò, turpium rerum nullam societatem, nullum mandatum esse, denique nullam obligationem. Ideoque si Titius, te mandante, aliquem occidit, vel vulnerauit: vterque quidem obligamini ex delicto ad parem pœnam (idē est de consilio, sed ita demū si aliter non facturo datum est) sed ex contractu nulla inter vos obligatio orietur: v. g. si Titius à te repetat mulctam & impensas, in quas propter vulnus condemnatus est. Sanè qui reuocauit mandatum, quia iam ei imputari non potest secutum delictum, exsors pœnæ erit.

Nota tertiò mandatum finiri. 1. renunciatione, 2. reuocatione illius, 3. morte, vel Mandantis, cognita tamen Mandatario: vel Mandatarij, integro ipso mandato. Nam hæres Mandatarij exequēdo illud nullam Mandati actionem habet, quamuis, si illud per errorem exequatur, tribuat accipienti v. g. rem bona fide conditionem vsucapiendi illam, vt si fuerit mandatum de vendendo equum. v. g.

Quod si quæras, vtrum Procurator possit sibi alium substituere Procuratorē? Respondeo, quod

deo, quod, aut hoc exprimitur in mandato, & tunc potest; aut non exprimitur, & tunc. Vel mandatum est ad negotia tantùm, & nec potest, tanquam electa industria personæ. Vel est ad lites; & tunc, aut lis non est adhuc contestata, & neque potest: aut est contestata, & potest tanquam factus dominus; & sic velut in rem propriam potest sibi constituere Procuratorẽ, qui tamen quoad litem prosequendam dicitur Procurator Substitutus.

TITVLVS XXVIII.

De Obligationibus quæ ex quasi contractu nascuntur.

POst explicatos contractus proprios, sequũtur improprij: dictio enim *quasi*, vt similitudinem, sic quoque improprietatem denotat. Nam quasi contractus carent conuentione, quæ effectrix causa est contractuum: & tamen effectu cum ijs coniunguntur obligationis ex ipsa æquitate, & quasi præsumpto cõsensu, vel ex ipso facto enascentis. Etenim ex vero contractu nemo obligatur, nisi qui consensit: hic autem obligantur ignorantes, vt furiosus & pupillus. Sic si negotia vel res alicuius, absentis fortè, vel desertas aut alias perituras curasti, nascitur inter vos obligatio, qua &

qua & tu domino ad reddendum rationes administrationis teneris; & ille tibi vicissim ad restituendum, si quid de tuo vtiliter impenderis; idq; ad instar Mandati.

Obligatio itaq; descendens ex quasi contractu est conuentio tacita habens causam. Et est octuplex:

Primò dicitur quasi contractus Pignoris, siue in specie de rebus mobilibus inuectis, v. g. in domum per illius conductorem fauore ipsius domini domus: siue quasi contractus Hypothecæ in rebus immobilibus mariti fauore vxoris pro dote illi data secundùm nos. At in sententia Iustiniani, quasi pignoris, quãdo res est tradita, sed non ad effectũ concedẽdi in illa securitatem illam accipienti, & quasi hypothecæ, quando res non est tradita seu cõsignata pro vlla assecuratione, vt supra, sed à sola lege ius pignoris, & ius hypothecæ fingitur interuenisse, vbi verè à partibus non est expresse conuentum. Vnde & tacitũ Pignus, ac tacita Hypotheca nuncupantur: aut ex Imperatore tacita tantùm hypotheca, vt contingit in muliere habente tacitam hypothecam super omnibus bonis mariti, siue mobilibus, siue immobilibus pro sua dote recuperanda.

Secundò dicitur Tutelæ, dum à lege fingitur inter pupillum & tutorem esse conuẽtum de

reddon-

reddendis rationibus, ac soluendo, quod alter alteri restabit in debito; vnde, & pupillo finita tutela actio directa aduersus tutorem datur; & huic actio contraria, vt suo loco dictum est.

Tertiò, Negotiorum gestorum causans pariter suam actionem tum directam, tum contrariam ipsi domino, ac gerenti, vt sup. proportionaliter discurrendo.

Quartò, Mandati, si quid Mandatarius vltra præscriptam summam expendit.

Quintò, ex Legato, cuius actio directa contra hæredem competit ipsi legatario, per ipsum tamen agnito legato; vtilis verò hæredi ipsius legatarij.

Sextò, Familiæ Erciscundæ, cuius actio directa cohæredi contra cohæredem datur ad ipsam hæreditatem diuidendã. Nemo enim inuitus in communione detineri potest: quippe quæ negligentiam colendæ reficiendeque rei, & discordiam consortium gignere amat.

Septimò, Finium regundorum, & omnibus in confinio agros habentibus datur actio directa ad ponendum terminos illorum competentiores.

Deniq; cùm mutuo similitudinem habet solutio indebiti, facta scilicet ab eo, qui per errorem facti se debitorem existimabat: perinde ob-

inde obligans ad restitutionem accipientem, vnde fit *Condictio indebiti.* Nam principalis intentio magis ad dissoluendam, quàm constituendam obligationem tendit, ideoq; non est propriè contractus, sed ipsa æquitas restituendi fidem dictat. ideoq; est quasi contractus.

TITVLVS XXIX.

Per quas personas nobis obligatio acquiratur.

EXpositis generibus obligationum, quæ ex contractu, vel quasi contractu nascuntur, dicendum est, per quas scilicet personas nobis illas obligationes, & per consequens actiones acquirere possumus. Sicut igitur in libro secundo proprio titulo egimus, per quas personas nobis dominium acquiritur; sic per easdem intelligendum hic est acquiri nobis & obligationes. Hoc est, non solùm per nosmetipsos, sed per eas quoque personas, quæ in nostra potestate sunt, veluti per seruos, & filios nostros: item per liberos homines, alienos seruos, quos bona fide possidemus, & quorum vsumfructum, vel vsum tantùm habemus.

TITVLVS XXX.

Quibus modis tollitur obligatio.

EXplicatum est hactenus, quomodo obligatione

gationes contrahantur, & acquirantur: nunc dicendum est quomodo dissoluantur & tollantur. Tollitur autem omnis obligatio solutione eius quod debetur, facta creditori præstatione rei à quocunque etiam ignorante debitore.

Solutio itaq; est actus, quo debitor ab obligatione liberatur. Et *est duplex*: Alia negatiua, qua tempore, vel dissimulatione, quis liberatur. Et alia positiua, qua rei præstatione satisfit creditori. Et hæc iterum duplex.

Alia naturalis; siue propria, qua verè creditori traditur, quod in obligationem venit: vel aliquid aliud in illius locum; de consensu tamen ipsius creditoris. Siue impropria, quando fictè traditur prædictum, contraria videlicet, aut nuda voluntate.

Alia Ciuilis: siue item propria, qua ipso iure debitor liberatur, aut Acceptilatione, aut Nouatione. Siue impropria, qua debitor ope exceptionis liberatur.

Non omnes tamen obligationes, prædictis omnibus modis tolluntur, sed vna vno, altero altera. In summà tamen, septem modis tolluntur obligationes. 1. per Acceptilationem. 2. per Nouationem. 3. per Solutionem in specie. 4. per Tempus. 5. per Nudam voluntatem. 6. per Exceptionem. 7. per Dissimulationem.

Acce-

Acceptilatio est impropria solutio eius, quod debetur, per stipulationem facta. Quia nihil tam naturale est, quàm eo genere vnũquodque dissolui, quo est colligatum, ideò verborum obligatio non nisi contrariâ stipulatione dissoluitur, quâ creditor acceptum fert, id est accepisse in solutum se profitetur, quod non accepit. Vnde Acceptilatio *imaginaria solutio* dicitur. Et est duplex. Alia Acceptilatio Simplex, quâ directè obligatio tantùm verborum tollitur. Alia Cõposita, quâ quæuis alia obligatio tollitur, prius tamen Nouatione ad Stipulationem deducta, postea verò per aliam Stipulationem continentem ipsam Acceptilationem sublata, quæ Aquiliana Stipulatio, ab Aquilio I. C. auctore vocatur, vt si de centum tibi mutuatis sic te interrogem. Centum, quæ tibi sum mutuatus, promittisné mihi dare? & tu respondeas. promitto. Postea tu me sic interroges. Centum quæ tibi stipulanti promisi, à me prius tibi debita ex mutuo, habesné accepta? & tu respondeas. habeo. Quia autem & hæc, & Simplex Acceptilatio, Ciuilis & Cõmentitia Solutio est: irrita erit, si sub conditione, aut in diem expressè cõcipiatur: quamuis interdum tacitè interuenire conditio poterit, in non solutione dotis nuptijs non secutis.

Nouatio est mutatio primæ obligationis in aliam: & fit ad instar stipulationis, vt centum, quæ tibi mutuatus sum, visné in deposito habere? & tu respondeas. volo. quæ enim mihi prius ex mutuo debebas, nunc debes ex deposito. Et hæc nouatio est duplex. Alia quæ vocatur *Translatio*, respectu delegationis: per quam obligatio transfertur à debitore in aliam personam, quam vice suâ scilicet adsignat creditori, eidem promittentem solutionem. Et alia quæ *Transfusio* dicitur, quatenus non mutatâ debitoris personâ, eius obligatio trāsfunditur in nouam: quæ priorē, quocunq; genere contractā abolet, stipulādo denuo quod in eâ continebatur: siue diem vel conditionē adijciat detrahatvé, siue nil tale moueat.

Solutio est actus positiuus naturalis, quo creditori verè datur, quod in obligationem fuit deductum, quidvé aliud in locum illius; de consensu tamen eiusdem. Et hæc omnem simpliciter tollit obligationem: & dicitur solutio tum facti, inspecta datione rei simpliciter; tum iuris, inspecto debito modo: quia rem facere quisque potest alterius, quamuis ignorantis, meliorem, non etiam deteriorē. Vnde non liberabit solutio alteri facta quàm creditori: nisi fiat iussu eius qui ius imperandi habet.

Tempus est, quo elapso tolluntur obligationes, vel priuatim constitutæ in diem, vel publica iuris determinatione finitæ. Veluti Prætoriam obligationem Iniuriæ, Re, vel verbis factæ, tolli Anno. Ciuilem autē Iniuriæ(prout Ciuilis à criminali distinguitur)ex lege Cornelia esse perpetuam. Obligationem deniq; iniurię factę in scriptis nunquam tolli,tanquā quod scriptura semper loqui intelligatur.

Nuda voluntas est duplex: Alia expressa, qua tollitur obligatio exContractu,vel quasi,cum re integra, perfecta etiam venditione, ab illa contrario dissensu receditur. Alia tacita, seu nuda, seu simplex, qua tollitur obligatio tantùm iniuriarum, vt si, qui ad animum reuocauit iniuriam, postea amicè salutauerit ipsum iniuriantem.


Exceptio est itidem duplex. Vel Pacti, de nunquam petendo. Vel iuramenti, de nunquam innouando. quæ tamen exceptiones probari etiam debent. Licèt enim obligatio semel nata nunquam extinguatur, tamen per exceptionem perpetuam obligationis,& actionis, effectus suspenditur in perpetuum. Et sic passim elidi actiones dicuntur. Et licèt de omnibus alijs modis tollendi obligationem possit etiam affirmari,quod sint exceptiones: peculiare tamen nomen sunt sortitæ, tanquā


ipso iure

ipso iure perimentes ipsam obligationem. Alij verò modi quibus non ipso iure perimitur obligatio, sed ope tantùm Exceptionis, dicuntur Exceptiones varijs nominibus nuncupatæ, vt dicetur inferius.

Dissimulatio est, qua tollitur obligatio iniuriæ tantùm, si lis non sit contestata, aut si iniuria non sit ad animum reuocata, iniquo videlicet illam animo, vt rem indignam, non ferens ipse iniuriatus.

NOTA, quòd præter septem modos supra scriptos, possunt & alij quatuor colligi: nempe *Compensatio. § bonæ fidei. infra de actio.* Confusio. *l. debitor. 7. C. de pac.* Interitus rei. *l. si ex legati. 2. 3. ff. de verb. oblig.* Maleficium creditoris. *l. si quis in tantum. 7. C. vnde vi. Antonius Contius.*





INSTITVTIONVM IVRIS CIVILIS LIBER QVARTVS.

TITVLVS I.

De obligationibus quæ ex delicto naſcuntur.

PRioribus duabus cauſis abſolutis, ex quibus obligationes naſcuntur, Contractus ſcilicet, & Quaſi Contractus, reſtant poſteriores duæ, Delicta, & quaſi Delicta. quæ ſubſequentibus titulis explicantur.

Eſt autem Delictum factum illicitum, pæna coercendum ex lege humanâ. (differt enim à peccato, quod latius patet ad omnia, quæ contra ordinem rationis fiunt, ex quibus, pleraq; famæ, Deo, & conſcientiæ vindici relinquuntur.) Eſtq; duplex: Publicum & Priuatũ.

Publica delicta dicuntur, quæ ad diſſipationem ſtatus publici tendunt, vt ſeditio, homicidium, peculatus, ambitus, &c.

Priuata verò ſunt, quibus priuatæ vitæ affligitur cõmoditas, vt eſt furtum, rapina, damnũ, & iniuria: de quibus in hoc & ſequentibus titulis diſſeritur.

NOTAN-

NOTANDVM quod & inter publica, & inter priuata delicta, *quædam sunt capitalia*, quæ pæna mortis aut exilij vindicantur: *quædam non capitalia*, quorum pæna aut est pecuniaria, aut coercitio quædam corporalis.

Rursus vtrorumque, *quædam sunt ordinaria*, in quibus certa pæna legibus constituta est: *quædam extraordinaria*, quibus imponitur pæna pro modo delicti ex arbitrio iudicantis.

Persequimur autem pænam, *aut ciuiliter*, quando petimus eam nobis adiudicari: *aut criminaliter*, quando petimus, vt reus vel luat pænam in corpore, vel quid fisco inferat.

Ex priuatis itaq; delictis, primum est FVRTVM. nempè contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipsius rei, vel etiam vsus eius possessionisvē, & duplex. Aliud manifestum, & aliud non manifestum.

Furtum manifestum est, cùm fur reperitur in loco delicti, vel alibi etiam, antequam tamē se reponat in loco, quo destinauerat rem asportare, dummodo ei retro acclametur.

Non manifestum est, quando non sic detegitur: Et hoc est per se ipsius furti, esse verò manifestum eidem est per accidens.

NOTA primò, duplicem esse pænam furti hodie. Alteram Ciuilem ad persequendam rem familiarem, siue ad duplum in non ma-

nifesto, attenta lege 12. Tab: siue ad quadruplũ in manifesto, attento iure Prætorio semper vltra simplum, siue ad simplum tantùm. Alteram Criminalem (nam pecuniarias illas pænas consuetudo moderna antiquauit, quãuis iure quoq; diuino probatas) ad persequẽdam vindictam iniuriæ arbitrariam iudici, citra tamen mortem; nisi in tertio furto cõmisso ab eodem: vel etiam in primo, magni tamen momenti tribus ordinarijs æquipolenti.

NOTA secundò, pænalem actionem furti, illi tantùm competere cui interest, rem saluã esse. 1. dominus, qui etiam pro re præcariè cõmodata solus potest contra furem agere, cõtra verò Commodatarium potest quidem agere, non actione furti, sed actione tantùm in factum ad interesse, dum tamen Cõmodatarius fuerit circa rem ipsam culpabilis. 2. Cõmodatarius in specie, etiam contra dominum non finito vsu rem ipsam sic cõmodatã fraudulosè contrectantem. 3. Conductor contra dominũ etiam, vt sup. 4. Fullo, dum tamen hic mercedem reciperet à domino vestis v. g. 5. Vsufructuarius, & vsuarius etiam, contra ipsum Proprietarium eiusdem rei. 6. Depositarius contra tertium tantùm; non itẽ contra vllum suo modo eiusdem dominum. 7. Pignoratarius etiam contra ipsum dominum non

nũ non ſoluto ſibi debito. 8. Poſſeſſor bonæfidei in defectu veri domini, vel alterius ex prædictis.

Nota tertiò, quod ad hoc, vt poſſit furti Actio intentari contra furem, debet hic eſſe. 1. pubes. 2. ſanæ mentis. 3. ſui iuris. 4. extraneus, ſaltem reſpectu iuris ſuper quo cadit ipſum furtum. Quare concurrentibus dictis qualitatibus in fure, ex defectu quartæ conditionis poteſt dari actio Furti. 1. contra ſurripientem rem alienam ſimpliciter. 2. contra ipſum cõmodatarium alio modo, re ſibi cõmodata vtentem. 3. contra conductorem peruertentem ius ſibi conceſſum. 4. contra creditorem vtentem etiam pignore. 5. contra depoſitarium re pariter depoſita vtentem. 6. contra ipſum dominum ſurripientem rem pignori datam; vel commodatam in ſpecie. 7. contra vſufructuarium, vel vſuarium pariter peruertentem vſumfructum, vel vſum ſibi conceſſum. 8. contra mandantem fieri furtum. 9. contra dantem auxilium: contra dantem autem conſilium tantùm, vt fiat furtum, non furti actio, ſed in factum tantum ad intereſſe datur. Vnde ex defectu dictæ quartæ conditionis non datur actio furti, contra dominum contrectantem rem depoſitatam: neque contra commodantem rem precariè ſibi

commodatam contrectantem: nec denique spoliantem incontinenti eum, à quo prius de eodem fuit re spoliatus. Ex defectu verò tertiæ conditionis, non potest dari actio furti contra filiumfamilias furantem res paternas; neque contra vxorem furantem res mariti. Ex defectu secundæ, non potest contra impuberem; nisi sit pubertati proximus. Ex defectu tandem primæ, non potest agi contra mentecaptum, vel eum, qui actu erat furiosus, quando rem alienam contrectauit.

TITVLVS II.
De vi bonorum Raptorum.

SEcunda species obligationis ex delicto *Rapina*; quæ est violenta & dolosa rei mobilis ablatio inuito domino: atque ideo furtum scelestius atq; impudentius nuncupatur, furtique pœnis est obnoxia. Et est *vel manifesta*, quod est de ratione rapinæ. *vel non manifesta*, quod eidem per accidens est, veluti cum me absente & inscio armatus quis domum meam spoliat; vel etiam de die & me præsente, sed facie coperta, aut de nocte, ne facilè agnoscatur. Quare ex animo pensandum est ipsum furtum, & ipsa Rapina, non verò quod fiat clam, vel palam, ita vt sicut ipsa clandestinitas non tollit rationem rapinæ, sic ipsa manifesta-

nifestatio non tollit rationem furti; quamuis huius pœna à duplo, in non manifesto augeatur vsque ad quadruplum in manifesto.

NOTA primò, quòd cum rapina furti species sit, consequens est eam non committi ab eo qui rem propriam iniquo possessori extorquet: sed is nihilominus ideo rei suæ iactura punitur. Quòd si existimans suam rem, cùm alterius sit, eam illi eripiat: rapinam quidem non committit, quia furtum sine dolo non consistit: tamen & hic eam vnà cum eius æstimatione de suo restituere compellitur. Idque etiam in rerum immobilium inuasione locum habet. Coercenda enim est ea temeritas, conuellens vincula publicæ quietis, & auctoritatem iudiciorum, quæ ideo instituta sunt, ne quisquam sibi ipsi permittat arbitrium vltionis. Similiter igitur & creditor, non per Iudicem, sed propriâ temeritate rem sibi debitam extorquens, amittit ius crediti; atque hic etiam rapinam committit. res enim debita adhuc debitoris est. Adeoque si quis pignora debitoris, citra auctoritatem iudicãtis abduxerit, violentiæ crimen admittit. Etiam agitur vi bonorum Raptorum contra mãdantem rapinam fieri; contraque dantem opem. De consilio verò, dic vt sup. in Furto.

NOTA secundò, pœnam Rapinæ duplicem

esse. *Ciuilem* aliam, attenta lege 12. Tab: sicut in furto: attento autem iure Prætorio, siue sit manifesta, siue non, semper esse quadrupli, computato simplo, intra annum, post verò est ad simplum tantùm. *Criminalem* verò esse maiorem quàm furti, cùm sit crimen publicum, furtum autem, quasi publicum tantùm. Vnde dominus (aut is cuius interest rem non esse raptam) potest relicta actione Ciuili Rapinæ, agere actione ciuili furti, vel ad duplum, attento iure Ciuili, si non sit manifesta, vel ad quadruplum, attento iure Prætorio, si sit manifesta. Semper tamen vltra simplum. Et in casu Rapinæ non manifestæ habet propriè locū actio ipsa de Rapina, quę, licèt sit non manifesta, tamen est ad quadruplum, computato nihilominus simplo.

NOTA tertiò, quòd idem potest agere de Rapina, qui potest & de Furto. Illeque idem potest Rapinam committere, qui & furtum, inque ijsdē rebus. Sed videamus de damno,

TITVLVS III.

De Lege Aquilia.

TErtia species delicti est *Damnum*, quod in genere sic definiri potest. *Damnum est actus detrimentum patrimonij alterius continens,* diuidi-

diuiditurque in Pauperiem & Contumeliam, de quibus infra. Ex lege autem Aquilia, *Damnum est actus positiuus sine iure, & cum iniuria culpam tantùm inuoluente factus, alterius solummodo detrimentum continens.* Et est duplex: Aliud consistens in occisione pecudis, vel serui alieni. Aliud in vulneratione tantùm eorundem; aut in aliarum rerum deprauatione. Ex quo etiam tituli præsentis duo sunt capita:

Primo capite, hæc lex Aquilia, vindicat damnum iniustè datum seruum pecudemvé alienam occidendo, iubens æstimationem rependi domino, quanta earum rerum vllâ parte anni proximè præteriti maxima fuit; vt si v. g. seruus pictor cùm occideretur cœcus erat, ante verò, intra annum tamen, oculis & arte valuerat: æstimatio ineunda sit non serui cæci, & inutilis, sed artificis picturæ. § *10. h. t. l. 23. ff. eod.* Illud præterea in æstimationẽ venit, non tantùm quod in corpore perempto, sed & quod eius occasione in re alia damnum patimur. v. g. ex quadriga tua vno equo occiso, non tantùm ille æstimabitur, sed reliqui quoque, quanto minoris sunt iam disiuncti: qui propter parilitatem lineamentorum & coloris aptissimi ad quadrigam erant. Tenetur & vtiliter qui mortis causa fuit. Sic cùm quis locatum sibi equum, ad certũ iter biduo expedien-

pediendum, ita concitasset, vt vno die iter illud conficeret, quamuis in primo itineris stabulo fortuitum vulnus accepisset equus, isque post iter expirasset: responsum fuit, conductorem teneri non modo in equi pretium, sed & ad id quod interesset locatoris.

Secundo capite lex loquitur de reliquo omni damno, nempe seruo vel pecude læsis, aut alijs quibuscunque rebus quocunque modo corruptis, id est fractis, collisis, scissis, vstis, destructis, conspurcatis. Eodemq; modo damnum cõputatur: nisi quod hic æstimatio tantùm maxima quæ intra 30. dies fuit soluenda est. Ille enim excessus æstimationis pro pæna est; quæ leuior in hoc capite, tanquam in delicto leuiore. Grauius enim cædes, quàm vulnus: nam illa præterea Lege Corneliâ capitaliter punitur; si nempe dolo admissa est. Igitur homine libero occiso, non hęc lex, sed Cornelia locum habet: eò verò vulnerato, locum habet actio in factum ad exemplum legis Aquiliæ: in quâ non corporis, sed damni æstimatio fiet. Hanc quoq; solam persequetur pater vtili legis Aquiliæ actione ob filijfam. vulnus. *Diodorus Tuldenus in Instit: ad Leg. Aquil.*

NOTA, quòd damni delictum, non tantùm dolo, sed & culpâ contrahitur, cuius species sun

ſunt variæ. *Primò imperitia* in pertinentibus ad artificium vel artem quam quis profitetur, veluti ſi Medicus cõtrario medicamento mortem attulerit. *Secundò*, Negligentia rei negotium non attendentis. *Tertiò* Inconſtantia ſuſceptum ſemel negotium deſerentis. *Quartò* Incogitantia tractantis in publico rem periculoſam, neque admonentis prætereuntes. *Quintò* Temeritas aut Prçſumptio affectantis id cui moderando per infirmitatem non ſufficit, veluti ſi quis cùm ferocem equum retinere non poſſet, aliquem obtriuit. *Sextò* Laſciuia ſeu ludum importunus, veluti ſi quis obiecto rubro colore conſternauerit boues in fugam, eoſque alius furto exceperit: aut ſclopetum explodens in auem domum alicuius combuſſerit. Talis à Camera Spirenſi fuit in vniuerſi damni æſtimationem condemnatus.

NOTA ſecundò, quòd directa, & ex manifeſta legis huius ſententia deſcendens actio tunc demum habet locum, cùm quis corpore ſuo corpus læſit; quod etiam de eo dicimus, qui aliquẽ præcipitauit in flumen, non modò ſi is ruinæ impetu ſtatim extinctus eſt, ſed etiamſi vorticibus fluminis victus tandem ſubmerſus eſt. At ſi quis non corporali vi lædat corpus v. g. ſeruo alieno perſuaſerit in tecti faſtigium

fastigium ascendere, isq; inde deciderit: quia non cecidit aut lesit, sed occasionem modò noxæ dedit, propriè cessabat lex Aquilia, sed interpretatone I. C. eò porrectaest: daturque vtilis actio. At in factum actio est, si ne corpore quis, nec corpus læsit, veluti seruum vinctum soluendo. Hæc in factum Prætoria dicitur, ad differentiam vtilis actionis, quæ eadem in factum ciuilis dici solet.

TITVLVS IV.
De Iniuria.

QVarta species obligationis ex delicto priuato est *Iniuria*, quæ in genere sumpta, tam latè patet quâm iniustitia: est enim effectus iniustitiæ, quæ in affectu & habitu animi consideratur. Talis iniuria vel dignitatis, vel corporis, vel rerum extra nos positarum detrimento aliquem afficit temerè immeritové. At hoc in titulo *specialiter iniuria sumitur* pro contumelia, à contemptu dicta, quæ sic definiri potest.

Iniuria est dictum factumvé inhonorificũ, ad infamiam doloremvé alterius directum: quam iudicijs vindicari: quietis publicæ & singulorum interest. Plerique enim illa adfecti rerum externarum detrimenta tolerabilliora multò putant.

Fit autem

Fit autem Iniuria quatuor modis. Vel facto, per occisionem videlicet, vulnerationem, & corruptionem rei. Vel verbis, per maledictũ, vt conuitium. Vel verbis & facto simul, vt attentando pudicitiam, aut assectando, veluti si quis puellam sollicitet ad stuprum, eo ipso enim significat opinionem quam de impudicitia eius concepit. Vel denique scriptura, vt si quis v. g. amarulẽtâ aliquem satyrâ proscribat cum suis vitijs: nam si crimina distinctè & in specie impinguntur scripto, id propriè Libellus famosus est. & eius auctor ex legibus 12. Tab: capite luit.

Diuiditur autem Iniuria In Leuem & Atrocẽ. *Leuis est* aliquem in celebritate probris incessere. *Atrox verò* vulnerare aut fustigare in foro, in theatro, in præsentia magistratus: Aut parentem, patronumvé, aut excellenti dignitate virum contumelia afficere.

NOTA secundùm dictas differentias atque circumstantias pænam iniuriæ crescere & augeri. Etenim siue ciuiliter agitur, dum actor postulat reum in tantam pecuniam condemnari, quantâ ipse iniuriam æstimat: Iudex moderari quantitatem petitam potest, si fortasse actor modum excessit. Siue criminaliter agitur, & non ad lucrum, sed ad publicum exemplum vindicta reposcitur: Iudicis arbitrio pæ-

trio pæna est constituenda. Idq; maximè obtinet quoties rei vilitas eludit pænam pecuniariam & infamiæ. Vna autem actione propria iniuriarum intentata non potest variari, nec simul alteram intentare; secus autem, si pro iniuria fuerit electa actio ciuilis Damni dati, nam tunc vna cum illa poterit cumulari tum actio criminalis, vel ciuilis eiusdem Damni, tum Criminalis ipsius iniuriæ.

NOTA secundò, quòd iniuriatus, si sit vilis persona, debet per se ipsum agere (idem dic de defensione) si verò sit persona illustris, potest agere per procuratorem: & hoc, ne succumbens efficiatur infamis, & ne actor succumbens pænam talionis persoluat, licèt hodie lex talionis quãuis iuri Mosaico consentanea, contraria consuetudine iam sit antiquata.

NOTA tertiò, quòd iniuriarum actio datur. 1. Contra ipsummet iniuriantẽ. 2. contra dantem opem dolo malo vt fieret iniuria. 3. contra mandantem. 4. contra procurantem, id est, dantem consilium, aut hortantẽ; tale enim consilium semper fraudulentum est, & sic dolosum: nisi malitiosa huiusmodi machinatio irrita fuit, iniuriâ non secutâ.

Tollitur autem hæc actio remissione, quæ vel expressè contingit, per pactum transactione mvè

nemvé: vel tacitè, si quis iniuriam sine vlla offensæ aut commoti alienatiuæ animi nota excepit; postea enim ex pænitentia remissam iniuriam non poterit recolere. Vulneratus autem quamuis remittit iniuriam, etiam pecuniâ acceptâ: adhuc tamen petere potest impensas curationis, quæ non ob contumeliam, sed ob damnum debentur.

TITVLVS V.

De Obligationibus, quæ ex quasi delicto nascuntur.

QVasi Delictum est actus negatiuus sine iure, cum iniuria culpam tantùm inuoluente factus. & est vel simpliciter negatiuus, vel secundùm quid, sequens videlicet ad actũ positiuum ipsius quasi delinquentis, aut alterius. Nam quemadmodum quædam negotia ad contractuum, sic & ad delictorum fines quædam facta proximè accedunt, quæ magis similitudinem eorum, quàm substantiam habent, & considerantur quadrifariam.

Primò in Iudice, qui si per imperitiã iniquâ sententiâ aliquem læsit, tenetur ei in æstimatinem damni, alterius iudicio moderandam: ideoq; dicitur *litem facere suam*, cuius periculo seipsum vt succedaneum subijcit. Sed in

vniuersæ litis æstimationem ita demum damnatur, si dolo malè iudicauit, id est ex euidenti gratia, inimicitia, vel corruptela. *l. 15. ff. de iudic.* ex quibus solis ferè tantùm secundùm mores huius æui tenetur, non etiam ex imperitia.

Secundò in Proiectis, quoties dominus domus tenetur de damno alteri sequuto ex re eiecta de domo sua, etiamsi id contigerit culpâ famulorum, vel cuiuscunq; simul inhabitantis, veluti hospitis, clientis, in duplum damni dati: itemq́; corpore libero læso ad reddendum æstimationem impensarum, itemq́; operarum solitarum arbitrio iudicis, ad quas quis tali casu inutilis factus est.

Tertiò in Appensis, cùm dominus tenetur de damno sequuto alteri ex re ad fenestram v. g. domus suæ appensa, si cadens transeunti noceat.

Quartò in Exercitore, hoc est in Nauta, Caupone, Stabulario. Hi tenentur ad reddendum in duplum, quod viator, vel vector de sarcinis suis aut rebus amisit, in eorum naui, diuersorio vel stabulo: quia eorum culpa videtur, quôd hominum improborũ ministerio vtuntur. Sed intelligendũ est, tunc demum huic actioni esse locum, si furtum factum est ab aliquo, per quos nauim, stabulum, vel diuersorium

riũ exercent, aut qui in eo alias habitet. Etenim nautę, caupones, & stabularij non tenentur hac actione pænali de facto viatorum vel vectorum, vtpotè quos ignotos promiscuè recipiunt; sed de eorum facto tamen in simplũ conueniri possunt ex quasi contractu, cùm custodiam in se recipere videantur. *l. 1. § vlt. & l. 2. ff. naut. caup.*

TITVLVS VI.

De Actionibus.

VLtima est pars operis de Actionibus; nam prima parte Institutionum de personis, secunda de rerum dominijs earumq; obligationibus Imp: tractauit, nunc ventum est ad eam operis partem, quæ reliquarum quoddã est munimentum, nempe ad *Actiones*, quæ sunt formulæ quædam, secundùm quas quisque examinare, dirigere, & formare in iudicio desiderium suum siue intentionẽ possit: (Hinc Actiones dictæ sunt, ait Theoph: quòd improbos & perfidos ad iudicia agant) absq; quo necesse sit, summam in iudicijs querellarum calumniarumq; esse confusionem.

Actio itaq; est ius (seu facultas & formula) persequendi in iudicio quod sibi debetur: quod, si habeat rationem vindictæ, dicitur

 publi-

publica; si rei familiaris, dicitur priuata: aut de proprietate, aut de possessione.

Omnium autem Actionum, quibus inter aliquos, apud Iudices arbitrosve (nam iudices stricti iuris, Arbitri verò bonæ fidei iudicijs adduntur: & illi ex formula à Prætore data, hi ex bono & æquo iudicant) de quacunque re quæritur, sunt octo diuisiones totales.

PRIMA *eadq; suprema Actionum diuisio est* hęc, quod quædam sint *Ciuiles*, nempè de re pecuniaria: quædam *Criminales*, quibus capitis vel corporis, vel existimationis pæna petitur, & *accusationes* vocantur, quemadmodum illę propriè *actiones*: quædam deniq; *Communes*, quibus aut de personarum statu, aut de tranquillâ pacificaq; possessione quæritur, & *Interdicta* vocantur.

SECVNDA *Actionum diuisio* à causa efficiente procedens, quod nimirum actiones quędam *Ciuiles* sunt, quæ ex Legibus, S. C. Edictisque Principum nascuntur: quædam *Prætoriæ*, quas Prætor supplendi aut mitigandi iuris ciuilis causâ introduxit: Quarum aliæ *Directæ* sunt, quæ ex verbis aut manifesta legis sententia descendunt: aliæ *Vtiles*, quæ interpretatione Iureconsultorum, per consequentias & similitudines, ex æquo & bono introducuntur.

TER-

TERTIA *diuiſio Actionum* à Materia, quod aliæ ſunt *in rem*: aliæ *in perſonam*: & aliæ *mixtæ*, quorum prior *Rei vindicatio*, ſecunda *Condictio* vocatur. Vindicare autem eſt rem de manu poſſeſſoris liberare: Conducere verò, denunciare alicui, vti ad certum diem iudicio adſit. *Vindicatio* igitur, ex dominij, *Condictio* ex obligationis iure naſcitur, illa quemcunq; rei noſtræ poſſeſſorem, hæc eius tantùm perſonam qui nobis obligatus eſt ſequitur: illa rem noſtram reddi nobis, per hanc verò nobis debitam dari vel præſtari petimus. *Mixtæ* verò Actiones, naturam vtriuſque iam dictæ qualitatis participant, veluti *familiæ herciſcundæ, cõmuni diuidundo, finium regundorum*. Nam diuidendæ hæreditatis iudicio, in rem agis, tuam portionem perſequendo; ſed alio reſpectu in perſonam quoque cohæredis, adeundo hæreditatem tibi ex quaſi contractu obligari; & quia neceſſe eſt alteri attribui pro diuiſo, quod ſocij quoq; erat pro indiuiſo. Tantundem eſt pro communi diuidundo agere: nam conſors ex quaſi contractu quoque obligari videtur; incidun tq́ue in hoc iudicium præſtationes perſonales. Sicut & cum inter confines petuntur deſignari & conſtitui vtriuſque agri limites; namque in eo & petis iuſtum agri tui modum tibi adiudicari, quod

vindicationis est, & ad mensurandum fundũ præsentem aduersarium habere cupis, quod Condictionis est.

QVARTA *actionum diuisio* à Forma, quòd quædam actiones sunt, *Bonæ fidei*; quædã *stricti iuris*, quædam *arbitrariæ*. Bonæ fidei sunt, in quibus iubebat Prætor Iudicem ex bona fide æstimare, non attendendo certas actionis formulas. Stricti iuris verò sunt, in quibus Iudex id quod inter contrahentes expressè actum, vel de negotio legibus constitutũ est, sententiæ suæ æquitate egredi non potest. Arbitrariæ denique sunt, in quibus iudex arbitri & conciliatoris officio æstimat & interloquitur, quomodo oporteat actori satisfacere reum: quo id contemnente, tunc demum secundùm leges eum condemnat.

QVINTA *actionum diuisio* à Fine, quòd sit vel *persecutoria rei*, vel *Pœnalis*, vel *mixta*. Per illas petimus, quod ex patrimonio nobis abest: per istas verò aliquid vindictæ causa, vt actione furti: per has verò vtrumque, vt actione vi bonorum raptorum.

SEXTA *actionum diuisio* à Quantitate multiplicata, quòd actiones nimirum pœnæ persecutorię, vel in simplum sunt, vel in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum. Sed hæ pœnæ hodie ferè in desuetudinem abiuerunt.

SEPTI-

SEPTIMA *diuisio* à modo condemnationis, quòd sit *Vel ad Solidum, vel ad minus Solido.* illa totum prætenditur, quod nobis debitum putamus: iſta id ſolūmodo quod iuxta ſuas facultates debitor nobis præſtare poteſt. Quod ſanè beneficium indulgetur, vel propter meritum, veluti militi & ſacerdoti, vel propter neceſſitudinem & coniunctionem perſonarum, vt parentibus & liberis inter ſe.

VLTIMA *actionum diuiſio* à Tempore durationis, quòd ſit vel *Temporalis, vel Perpetua.* Prioris naturã habent omnes Prætoriæ Actiones, quæ annuæ vel annales ſunt; poſterioris, omnes actiones ciuiles (exceptis quibuſdam factis temporalibus à Iure Canonico) quarum aliæ tranſeunt ad, & in hæredes, aliæ non. Tranſiens ad, eſt quæ actori competens non competit eius hæredi, vt actio Iniuriarũ, niſi lis ſit conteſtata, & actio ex vocatione in ius Patroni ſine venia oriens. &c. Tranſiẽs autem In eſt, quæ data aduerſus reum non datur contra eius hæredem, vt actio pænalis, &c.

TITVLVS VII.

Quod cum eo qui in alienâ poteſtate eſt, negotium geſtum eſſe dicatur.

ETſi actiones ex contractu naſcentes, inter alios habere locum non poſſint, quàm inter quos

ter quos contractum est (& ideo personales appellantur) nihilominus tamen hunc iuris rigorem relaxauit Prætor in casibus quibusdam introductis ex æquitate certis actionibus, vel potius actionum qualitatibus, quibus conueniri quis potest ex contractu alterius. Suntq; actiones numero septem, quæ hoc titulo ordine recensentur, quæ in patrem & dominum ex contractibus filiorum & seruorum competunt.

Prima est actio Exercitoria, quæ tunc locum habet, cùm quis seruum suum magistrum naui præposuerit, & quid cum eo eius rei gratia, cui præpositus erit, contractum fuerit; ex eo contractu v. g. locatione, acquirit actionem, non tantùm aduersus illum qui magister nauis est, sed etiam aduersus eum, qui illum naui præposuit, qui appellatur *exercitor*, ad quē scilicet pertinent obuentiones nauis: & hoc aspectu actioni illi noua qualitas accedit, vt appelletur *exercitoria*.

Secunda, Institoria, quia qui negotiationibus præponuntur, *Institores* vocantur: hæc actio tunc locum habet, cùm quis tabernæ fortè, aut cuilibet negotiationi seruum suum præposuerit, tunc dominus obligatur ex contractu Institoris.

Tertia est Tributoria, quæ tunc fit, cùm seruus sci-

uus sciente domino negotijs domini immiscuerit peculium suum & negotietur, tunc si quid ex contractu tenetur creditoribus, dominus obligatus est pro illo satisfacere, & inter omnes creditores peculium suum pro ratâ portione cuiusq; crediti distribuere. Quod si quis ex creditoribus quæratur quasi minus ei tributum sit quàm oportuerit: hanc ei actionem Prætor accomodat, quæ à distribuendo tributoria appellatur, per quam cogetur quicquid mercium occultauerat in medium afferre, & si non suffecerint de suo cõpensare.

Quarta de Peculio, quando videlicet dominus aut paterfamilias ignorauerint filium vel seruum negotiari, tenentur tantum *actione de peculio*, vsque ad peculij vires: sed de eo deducunt vniuersum, qnod ipsis, vel ijs qui in ipsorum potestate sunt, debetur.

Quinta, quod Iussu, si videlicet patrefamilias mandante, filius contraxit, aut seruus iussu domini, tunc in solidum, tanquam ex proprio contractu obligantur. Idem si contractum filij aut serui postea suo nomine approbauerint, aut ratihabuerint, vel chirographo subscripserint.

Sexta, de re in rem verso, si nimirum per contractum filijfamil: vtiliter gestum est patris negotium, vel patrimonij corpus auctum, ea-

tenus tenetur pater creditoribus filij actione *de in rem verso*, quà scilicet in vtilitatem eius conuersum est.

Vltima Condictitia, quæ in se Senatusconsultum Macedonianum inuoluit, qua videlicet in Ius vocatur, qui in mortem parentum pecunias filijsfamil: fœnori dare consueuit. Hanc sæuitiam creditorum còërcuisse videtur Vesp: Imp. auctorq́ue Senatus fuit decernendi ne filiorumfam: fœneratoribus exigendi crediti ius vnquam esset, hoc est, ne post patrum quidem mortem. Vnde si filiofamilias credidisti pecuniam ad cultum vitæ vel studiorum, pro modo præstationis ipsi patri cõsueto: actione de in rem verso; vel Institoriâ, si pecuniam filiofam: institori patris rectè credidisti, cum patre experieris. At ferè ex alijs causis sumptâ per filiumfam: mutuâ pecuniâ, non modo pater eius non obligatur, sed nec ipse quidem filiusfam. vt eo modo & creditores à mutuandâ filijsfam: pecuniâ deterreantur, & filijfamilias â sumptibus & prodigalitate arceantur: ne æris alieni necessitatibus ad præmaturum & improbum successionis & mortis paternæ votum impellantur. Et hæc est sententia ac ratio S. C. Macedoniani, quod etiã in Polonia nostra Rex Cazimirus Magnus in Comitijs Vislicienſibus 1368. Statuto suo approbauit.

TITVLVS VIII.

De Noxalibus Actionibus.

SVperiore titulo dictum est, quomodo nomine alieno intentatur actio pro gesto per Contractum; nunc videndum est quatenus datur pro gesto per Delictum priuatum. Si igitur seruus noxiam, id est delictum aliquod priuatum commisit, dominus noxali actione tenetur ad delicti pænam, nisi mauult liberari, dedendo seruũ noxæ; id est tradendo eum in vindictam, & æstimationem damni ei cui nocuit. Si verò dominus ipse iussit, vel, cùm posset, non prohibuit, tenetur in solidum. *l. 2. & 3. ff. h. t.*

Noxa autem caput sequitur. Vnde si seruum noxiosum alienaueris, nouus possessor hac actione; vel si manumiseris ipse seruus ordinariâ actione tenebitur. Quemadmodum ex aduerso etiamsi liber post noxiam in dominium tuum redigatur, tu hac actione conuenieris. At ex proprij serui noxiâ, etiam cùm alterius esset, contra te commissa, ne quidem manumissum vel alienatum conuenies.

NOTA ex persona filijfam: hanc actionem locum non habere, quia ex eius maleficio nõ obligatur pater. *l. 1. C. ne fil. pro patr.* adeò, vt nec eius nomine in mulctam condemnari possit.

possit, ex ratione legitimæ portionis filijfam: vel ex vsufructu quem habet in bonis aduentitijs filijfam: exsoluendam. *Farinac. trac. de delict: quæst: 24.* Planè actione de Peculio, quatenus id actum est ex maleficio filijfam. pater conuenitur rectè. *Diod: Tulden: in Inst.*

NOTA secundò, ex delictis quoq; famulorum dominum non teneri; nisi iusserit, vel ratum habuerit. *l. 1. § 21. & l. 3. § 11. ff. de vi.* vel deliquerunt in eo actu cui eos præposuit Sed tunc tantùm ciuiliter tenetur: veluti si culpâ stabularij in stabulo, vel coci in coquinâ incendium oriatur, de damno tenebitur dominus. *Mascar: de prob: concl. 892.* nisi probauerit, eum famulum esse hominem frugi, de cuius culpâ præsumere non potuit. *Farinac: d. quæst: 24. & Diod: Tuldenus in Instit.*

TITVLVS IX.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

PAuperies est damnum sine iniuria facientis datum: ideoq; ex lege 12. tab: superiori similis actio descendit aduersus dominum pecudis, quę alicui damnum dedit, vt vel hoc resarciat, vel illã noxæ dedat. Similiter apud nos habet Statutum Lithuanicum. Sed hoc ita intelligendum est, si videlicet pecus, contra sui

tra ſui generis naturam, & quidem ſua ſponte commota fuit in aliquam ferociam. Nam ſi inſtigata ab alio fuit, percutiente fortè: contra eum ex lege Aquiliâ vtilis actio erit; quemadmodum & contra mulionem. ſi mula plus iuſto onerata, onus in aliquem euerterit. Vnde ſi beſtia quæ tibi nocuit, concita fuit ab aliâ: contra dominum concitantis demum hæc actio erit: naturali enim iure non tenetur quis ex facto ſui animalis, niſi culpa eius arguatur.

TITVLVS X.

De iis per quos agere poſſumus.

QVia multæ ſæpè cauſæ hominibus impedimento ſunt, quò minus rem ſuam ipſi exequi poſſint, proinde legibus Imperatorijs permiſſum eſt cuicunque actionem inferre poſſe, non tantùm ſuo nomine, ſed etiam alieno: procuratorque nudo conſenſu â quolibet conſtitui poteſt, aut ad litem, aut ad omne negotium, aut ad partem negotij; aut demum ad res adminiſtrandas.

Nota, quod in capitalibus cauſis regulariter interuenire procurator ex parte vel rei, vel accuſatoris prohibetur. *l. 1 ff. an per alium cpp. l. l. 13. ff. de pub. l. 71 ff. de Procurat.* Similiter actio iniuriarum criminalis inſtitui per procu-

procuratorem non potest: nisi ea vt experiatur, vel conueniatur persona illustris. *l. vlt. C. de Iniur. Diod Tulden. in Instit.*

TITVLVS XI.

De Satisdationibus.

S*Atisdatio est* cautio pro eo quod à nobis debetur aut petitur: quæ quidem aut extraiudicialis est, de qua superius actum est sub fideiussore, aut iudicialis, de qua duntaxat hoc loco agitur.

Igitur Procurator ad litem accendens debet exhibere mandatum domini in iudicio, nisi dominus inibi præsens eum constituat vel confirmet: alioqui enim non admittetur procurator, nisi per fideiussorem promiserit, quod dominus ratum habebit, atq; approbabit, quidquid ille gesserit. Nemo enim rei alienæ defensor idoneus est sine satisdatione. *l. non videtur. ff. de Procurat.* Ad eandem satisdationem tutor quoque & curator tenentur. § *4. h. t.*

Quod si verò quis ipse suam actionem instituat, debet reo cauere de æstimatione sumptuum litis reo forté vincenti repensanda: si tamen domicilium sub Iurisdictione Iudicis, vel bona immobilia habet, ad nulam cautionem

onem tenetur. Idem obtinet & in reo: alioqui enim fideiussorem dare debet, de iudicato soluendo, ea scilicet quantitate in quam condemnabitur: nisi id ipsum promittendi Procuratori suo ipse fideiussor accedat, oppignorantis quoque in eam rem bonis suis. Si verò pro reo absente aliquis, sine eius mandato interueniat (qui defensor dicitur) is vtique non admittetur, nisi cauerit iudicatum solui. § *6. h. t. & Diodorus Tulden. in Inst.*

TITVLVS XII.

De perpetuis & temporalibus actionibus, & quæ in hæredes, & ad hæredes transeunt.

DIximus paulò super: Actiones quę ex iure ciuili descendunt *Perpetuas* esse, quia scilicet intra 30. vel 40. annos intentari possunt, sed per longius silentium exstinguuntur præscriptione, vt aliquis sit litium finis. Eas verò actiones, quas Prætor supplendi Iuris ciuilis gratia, introduxit, anno sæpè finiri, quatenus scilicet pænam persequuntur (excepta actione furti manifesti) vel contra ius ciuile negotium rescindunt: non alias. *l. in honorariis 35. ff. de ob. & act.* Nunc breuiter videndum de actionibus, quæ in hæredes, & ad hæredes transeunt.

Quædam

Quædam igitur actiones hęredibus & contra hæredes dantur: quædam neque hæredibus, neque contra hæredes: quædam deniq; hæredibus quidem, sed non contra hæredes.

Actiones quæ hæredibus dantur, & contra hæredes sunt quæcunque rei persecutoriæ: nisi quod actio in rem tantùm respectu possessionis contra hæredem datur: (si enim possessio ad eum non peruenit, non tenetur) *l. 24. ff. de rei vind.*

Actiones quæ neq; hæredibus, neq; contra hæredes competunt, sunt actiones iniuriarum: defunctus enim qui actionem non instituit, per dissimulationem aboleuisse iniuriam videtur. § vlt. supr. de iniur. Et cùm hæc actio tantùm ad pænam tendat, non debet ei subijci hæres ex delicto alieno.

Actiones demum quæ hæredi quidem dantur, sed non contra hæredem sunt reliquæ omnes pænales actiones: nisi iam ante aduersus defunctum in iudicium erant deductæ, vel nisi ex delicto defuncti lucrum penes hæredem residet. § *1. h. t. l. 5. ff. de calum.* vel descendant ex dolo in contractu admisso. *l. 12. & l. 49. ff. de obl.* Planè actio ob dolum in deposito, incendij, vel tumultus, vel ruinæ, vel naufragij metu aut occasione facto, in hæredem non datur, quia in duplum est. *l. 1.* § *1. & l. 18. ff. de post.* Sim-

post. Simpliciter enim actio de dolo non vltra datur in hęredem, quàm quatenus ad eum peruenit.

NOTA, Imperatorem posuisse in hoc titulo coronidis loco, elegans dogma, de modo soluendi iudicium & effugiendi damnationem, priusquam ad exceptiones explicandas accessisset, vt videlicet ante rem iudicatam is, cum quo actum est satisfaciat actori, qualem conuenit officio iudicis absoluere, id est liberatum ab actione dimittere: licèt in ea causa fuisset iudicij accipiēdi tempore, vt damnari deberet. Et hoc est quod antea vulgò dicebatur, omnia iudicia absolutoria esse, hoc est, permissum esse iudici ante condemnationem reum, qui bonam fidem agnoscit, ab actione liberatum dimittere.

TITVLVS XIII.

De Exceptionibus.

SIcut actiones sunt arma Actoris, sic exceptiones sunt arma Rei: quemadmodumq; hæc, ita & illa non nisi ex iuris auctoritate nascitur: & propterea Exceptio est elisio actionis, quæ sic definitur.

Exceptio est ius defensionis reo ex æquitate comparatum, aduersus actionem summo iure competentem. Dico *Actionem summo iure*

 compe-

competentem, nam ea quibus ipso iure actio tollitur, veluti solutio, propriè ad exceptionem non pertinent; quemadmodum nec inficiatio facti, in quo intentionem suam actor fundat. Exceptio igitur est, Actionis exclusio; at Defensio est intẽtionis repulsio. *Couar: ad Reg: possessor. nu: 4. & Tuldenus in Instit.*

Sunt autem exceptiones, partim declinatoriæ, partim dilatoriæ, & partim peremptoriæ. *Declinatoriæ sunt*, quibus iudicium declinat reus, dicens iudicem non esse competentem. *Dilatoriæ*, quibus effectus actionis tantùm retardatur, vnde & temporales dicuntur, vt est infirmitas, seruitia Reipub. &c. *Peremptoriæ* denique seu perpetuæ sunt, quæ actionem planè perimunt, & vires principalis negotij exhauriunt, actoremq́ue in perpetuum repellunt, vt præscriptio & infamia actoris. exceptio non numeratæ pecuniæ, exceptio metus, exceptio doli, rei iudicatæ, Iurisiurandi & transactionis denique.

Exceptiones igitur Declinatoriæ non nisi ante omnem in iudicio actum: Dilatoriæ, nõ nisi ante litem contestatam: Peremptoriæ, quandocunq; opponi possunt. Quarum pleræq́ue *rei cohærent*, quædam *personæ*: & consequenter illæ etiam hæredi & fideiussori accomodantur, hæ verò non item, vt exceptio ne

quis

quis condemnetur vlterius quàm facere possit, de quâ dictum superius, personam enim non egreditur eius cui indulgetur. *l. 7. ff. h. t. § 5. infr. de repli.* Etenim cum fideiussor in eandem vtique causam se obliget, exceptionibus ex eâ nascentibus vti potest: sed cùm suam personam, tanquam magis idoneam, substituat pro personâ debitoris principalis, meritò arcetur à defensionibus, quæ personæ rei propriæ sunt, & specialiter indulgentur. Et hæc distinctio in reliquis quoque iuris beneficijs spectatur, an scilicet causæ conditio, an verò personæ fauor ea obtinuerit. *l. 68. ff. de reg. Iur. l. 13. ff. de minorib. Diodorus Tuldenus in Instit.*

TITVLVS XIV.
De Replicationibus.

QVia non perimitur semper actio exceptione allegata, sed labefactatur tantùm ac suspenditur, ideo adiuuandi actoris gratia, alia allegatione opus est, per quam resolueretur ius exceptionis, & talis est *Replicatio*, quæ est *Secunda actoris allegatio ad stabiliendam actionem suam aduersus exceptionem à reo propositam.* Et quod deinde ad excludēdam replicationē vlterius allegat reus, vocatur *Duplicatio*. Porro argumētum quo duplicationem actor im-

pugnat, vocatur *Triplicatio* Atq; ita deinceps id quod non obstante triplicatione, potest reus se defendere, dicitur Quadruplicatio, quæ alias vocatur, elisio triplicationis.

Vlterius autem regulariter nõ proceditur. In supremâ autem Lithuaniæ Curiâ, quam vulgò Tribunal appellant, non proceditur vltra duplicationem, nisi ex causa Iudices aliter decernant, nempe ob noui, & ad statum causæ pertinentis facti allegationem.

TITVLVS XV.
De Interdictis.

INterdictum est decretum inter actorem & reum cuiuscunq; magistratus certa forma editum prohibens ei vim fieri cuius possessionem iustiorem inuenit. atque hinc interdictum est quasi inter duos litigantes edictum, ne disceptando de proprietate possessorem turbent: aut ab interdicendo, quod neutrum permittat rem possidere, donec de iure constet eiusq; potioritate: atque eam ob causam alij *Interdicta*, quasi *interim dicta* appellarunt. Iudiciũ etenim omne vel est *Petitorium*, quo de proprietate, vel Possessorium, quo de possessione tantùm contenditur: semperq; is petitor est, qui non possidet, possidentemq; de sua possessione deijcere conatur. Ne igitur

inter partes discordiæ & tumultus armorum fiant, Prætor interim edicit suam interponēdo Iurisdictionem, vti possessor pacificè sua possessione fruatur, donec rationibus decisis per decretum generale vni illorum attribuatur, & ius certum, & possessio iam firma.

Hinc *Interdicta* vel *adipiscendæ possessionis* sunt, vel *retinendæ*, vel *recuperandæ*: quia partim tendunt ad acquirendam de nouo possessionem, contra occupatorem: partim ad tuendam pristinam, contra turbatorem: partim ad recipiendam amissam ab expulsore. Primi generis est *Interdictum quorum bonorum* ita appellatum à primis verbis edicti & denunciationis Prætoriæ, quo directò quidem bonorū possessor, sed vtili etiam hæres, possessionem rerum hæreditariarum auocat ab eo qui pro hærede, vel pro possessore eas apprehendit. § *4. h. t. l. 1. ff. quor. bon.* Secundi generis interdictum vocatur *vti possidetis*. quia inter duos de possessione ipso facto contendentes locum habet, ne vim alter alteri inferat donec plenior decisio fiat. Et quemadmodum hoc interdictum ad res immobiles, ita ad mobiles pertinet *interdictum vtrobi* § *5. h. t.* Tertij generis est *Interdictum vnde vi* ad rei immobilis recuperandam possessionem, quâ quis spoliatus fuit ab aliquo.

Iterum *Interdicta* quædam *Prohibitoria* sunt, quædam *restitutoria*, & quædam *exhibitoria*. Prohibitoria dicuntur, quibus Prætor vetat quid fieri; vt ne fiat vis possidenti rem sine vitio. Restitutoria dicuntur, quibus Prætor aliquid restitui iubet: Vel *vnde vi*, quod perpetuò datur contra ipsum deijciētem pro rebus ad ipsum peruentis: Vel *Quorum bonorũ* quod datur bonorum possessori contra possidentem pro hærede, aut pro possessore. Exhibitoria deniq; dicuntur, quibus idem Prætor iubet quid exhiberi, vt cum persona, de cuius statu quæritur, veluti seruus, an liber sit, libertus an ingenuus, proferri iubetur. § *2. h. t.*

TITVLVS XVI.

De pœnâ temerè litigantium.

QVi scit se non habere ius agendi, vel defendendi, dicitur temerè litigare, aut calumniari alium: cùm enim quis sciens prudensq; per fraudem negotium alicui comparat, is innocentem calumnia afficere videtur. Proinde calumnia hoc loco litigatoris est, fraudulentus iuris & iudiciorum abusus. Temeritas verò inconsiderata audacia. Illa doli & malitiæ, hæc erroris calorisque inconsulti & culpæ est. *Diod. Tulden. in Instit.*

Huius itaq; *calumniæ coercendæ quinq; sunt remedia.*

media. Primum est iuramentum, ante omnia enim iurare cogitur actor, quòd sincerè existimet intentionem suam iustitiæ congruere. Quod proinde nullam in corruptelâ spem reponat. Nunquam verum dissimulabit. Nulla probatione superuacua reum onerabit. Nullasq; dilationes ad moram faciendam in iudicio excogitabit. Cuius periurij pæna est Iudici arbitraria, si de eo constet; alias Deum habebit vltorem. E contra reus iurat, quod bona fide putat, se iustè contendere. § *2. h. t. l. 2. C. de iureiur. prop. calum. Diod. Tuld. in Instit.*

Secundum remedium est Expensarum restitutio, computando quoque damno inde illato victori, adeoq; lucro cessante, si v.g. artifex per litis auocamenta quotidianum quæstum intermisit. § 2. *in fin. h. t. Gratian. discep. foren. 33.*

Tertium, Infamia ex condemnatione causæ. quę duplex fieri solet. Alia Iuris, cum decreto aliquem infamem iudex esse pronunciat ob delictum aliquod enorme commissum, v. g. furtum aut latrocinium. Alia Facti, cum eius opinio tantùm apud probos viros grauatur, vt cum quis tanquam suspectus à tutela remouetur, aut depositum negatum restituere iubetur.

Quartum, Condemnatio in duplum, aut în tri-

plum, quod iam ferè exoleuit, cum antiquitus furta in quadruplum compensarentur.

Quintum, Mulcta Iudici exsoluenda, qua quis condemnatur ad soluendum quinquaginta aureos, vt filius emancipatus vocans patrem in iudicium sine venia, aut Libertus patronum.

NOTA, circa nouercam distinctionem Besoldi, vt non impunè eam cites si pater tuus superuiuit; aliud sit eo mortuo. *arg. l. 3. C. de fur.*

TITVLVS XVII.

De Officio Iudicis.

EXpositis litigantium actionibus, exceptionibus, cautionibus, pænis, citationib. &c. restat de tertia persona nempe Iudice, eiusq; officio, norma, & regula iudicandi agere, qui inter litigantes iudicij est moderator.

Officium itaq; Iudicis est consulere tam publicæ quam priuatæ quieti Reipub. in dirimendis litibus, in tollendis grauaminibus, & in ferenda ipsa sententia, vt ciuium concordia quam maximè augeatur.

Duplex autem est officium Iudicis. Aliud *Nobile* siue Extraordinarium, quando in Iure nulla est prodita actio, sed ipse iudex motu proprio, vel etiam parte petente iuxta suæ iurisdicti-

riſdictionis menſuram propria authoritate ſubuenit, veluti cum inſtituit Inquiſitionem de crimine, cuius nemo accuſator, ſed tantùm fama exiſtit. Aliud *Mercenarium* ſeu Ordinarium, quod actioni in iure proditæ deſeruit; in cognoſcendo de cauſa, dum vel pręcipit, vel prohibet, vel interloquitur: in pronunciando de eadem cauſa (quo peracto dicitur ſuo officio functus) in exequendoq́; ipſius cauſæ ſententiam, de qua & cognouit & pronunciauit.

Et quia Iudex Legum miniſter eſt, non cõditor, aut moderator, ideo 1. non aliter iudicabit, quam iure legibuſq́; aut conſuetudine præſcriptum eſt. 2. concipiet ſententiam conformem libello: maximè in quæſtionibus facti, probationibus ſententiam conformabit. 3. vt priuſquam decretum proferat, cum animo ſuo deliberet primò, ac tum demum eam ſententiam ferat, quam religio ſuggerat, id eſt conſcientia, quæ maximè præſumptione atque metu iuſtiſſimi Numinis commouetur.

TITVLVS XVIII.

De Publicis Iudiciis.

HActenus de priuatis delictis egimus, ex quibus actio tãtùm ei datur qui læſus eſt;

 nunc de

nunc de publicis iudicijs, quæ omnibus patent, agendum est: nam ex speciali legis authoritate, de publico crimine accusare omnibus licet, quia ad omniũ iniuriam redundat. Igitur *Actionibus* & *Interdictis* absolutis, de *Accusationibus* hoc vltimo titulo tractandũ est.

Differunt itaque Actio & Iudicium. 1. quòd Iudicium pro criminalibus datur. Actio verò pro ciuilibus. 2. In iudicio aliquãdo etiam reus debet probare: in actione autem solus actor. 3. In iudicio agitur ad pœnam reo infligendam: in actione verò petitur tantùm quid fieri, vel dari. 4. Iudicium instituitur, tum accusatione, tum denunciatione, tum inquisitione: actio verò per solam causæ propositionẽ. 5. In libello iudicij non subijcitur petitio, & si subijciatur nullo modo attenditur: in libello autem actionis sic, & omninò attendi debet. 6. in iudicio aliquando reus, non finita etiam causa carceratur: in actione autem non item, nisi reus iuretur de fuga suspectus, licet causa finita possit carcerari. 7. In iudicio requiritur probatio clarior luce meridiana: in actione verò quæuis probatio aliquando sufficit, & aliquando datur iuramentum suppletorium. 8. In iudicio sæpè eruitur veritas ipsis tormentis: in actione verò solis probationibus.

Duplex

Duplex autem est Iudicium Publicum, Aliud *Capitale* habens annexam pœnam capitis, siue naturalis, siue ciuilis; maximæ videlicet, vel mediæ capitis diminutionis. Aliud *non Capitale*, cui tantùm est annexa pœna verberum, vel amissionis membri.

Crimina verò seu Publica delicta, propter quæ ista Iudicia & Accusationes fiunt *ad tria* potissimum *capita reuocantur.* Vel enim caput & fundamentum totius vitæ ciuilis *violăt Religionem*, vt Atheismus, Hæresis, Magia, Simonia, Apostasia, Sacrilegium, Blasphemia, Periurium, Vsura. quæ licet à brachio seculari puniuntur, ad ius tamen Canonicum præcipuè spectant. Vel *militiæ disciplinam dissoluunt*, vt si milites hostibus se dedunt, si fugam in acie faciunt, arma in acie abijciunt, vel alienant, si stationem relinquunt, si contra centurionem contumaces sunt, si denique emansores, desertores vel transfugæ existunt. Hæc quamuis Ducibus belli castiganda committuntur sine strepitu iuris & aliorum Magistratuum incommoditate, extat tamen titulus de re militari in ff. & C. Præsidibus Prouinciarum cognitu perquam necessarius. Vel denique *statum Politicum lædunt*, cuius caput imò spiritus est supremi imperij auctoritas, & erga eam obsequij fides: cuius violatione contrahitur, *læsæ maiestatis* crimen.

Est autem læsæ maiestatis crimen, cum quis animo hostili vel partem tantùm Reipub. intendit labefactare, vel Principem ipsum, populumvé totum obruere conatur; quod *Perduellionis* crimen appellatur. Pœna vtriusq; est mortis (etiam ex sola conspiratione) ac bonorum publicationis. In sola autem seditione pœna est mortis tantùm: & puniuntur etiam scientes & non reuelantes, dum tamen illud probari possit; siue sit consumatum, siue non. Et accusator legitimus etiam seruus esse potest, quamuis proprius: similiter quoque & infamis. Propriè tamen *Perduellio est*, qui ad hostem transfugit, vt Rempub. euertat: aut si dux exercitum contra Rempub. conuertit.

Cæterum quia iudiciorum quoque vigore ac reuerentiâ publicus status stat: cui contrarium est crimen *vis publicæ* vel *priuatæ*, quæ barbarorum immanitatem distinguit à vita ciuili. Ideo lex Iulia aduersus eos exoritur, qui vel publicæ potestati hoc est magistratibus vim inferre intendant, quæ hodie *crimen fractæ facis* dicitur: vel priuatorum bona & possessiones diripiant armati seu inermes, & dicitur, *securitatis violatio*. pœnam capitis adferens, etiam ijs qui opem huic flagitio dederint, principales verò insuper bonorum proscriptione plectuntur. Quoni-

Quoniam verò Iudicia & ſocietas ciuilis, probationum inſtrumentorumq́ue ſinceritate continẽtur, ideo *publicum quoque crimen eſt Falſum.* Cuius pœna in ſeruo eſt mortis; in libero autem Deportationis & Publicationis bonorum: ſiue quis principaliter id egerit, ſiue opem conſiliumq; contulerit, ſcribendo, recitando, ſignando; maximè verò teſtamẽta ſupprimendo, ſupponendo, dolendo, aut mutando.

Magiſtratuum quoque ſincera ac gratuita ex prærogatiuâ meritorum electio, & eorundem incorrupta adminiſtratio, ad ſummam Reipub. ſpectant: vndè publica quoque iudicia, hinc *ambitus*, indè Repetundarum §*12. b. t.*

Et *Ambitus eſt* corruptio ſuffragiorum data pecunia pro honore temporali habendo; cuius pœna eſt centum aureorum, & infamia, & aliquando exilij, iuxta qualitatem delicti.

Repetundarum crimen eſt, cum Iudex, aut Magiſtratus, præter ſalarium ſibi deſignatũ, munera à ſubditis exigit, aut oblata percipit, quo magis aut minus quid ex officio publico faciat, aliterve iudicet, quam debeat. Pœna eſt quadrupli, applicanda pro dimidia Fiſco, & pro altera dimidia parti læſæ: & aliquando exilium, aut pœna mortis.

Sed & ſine opportunitate rerum ad victum pertinen-

pertinentium, nulla consistere ciuitas potest: ideoque qui earum caritatem, vel penuriam moliuntur frequenti cöemptione & suppressione ad annum sterilem, qui *dardanarij dicuntur*, & iudicio *de annonà* tenentur. Qui autem olera atque legumina carius vendere procurat *Patopola* appellatur, & pro admissi qualitate, Iudicis arbitrio plectitur: quinquaginta aureorum, aut Relegationis.

Administratio quoq; publica, sine pecunia publicâ procedere non potest: ideoque qui in ea fraudem committunt, publicum crimen *Peculatus* committunt. Cuius pœna est mortis, si Iudex tempore suæ administrationis hoc delictum cõmisit. Si verò alio tempore, est arbitraria, non tamen minor, quàm antiqua, id est deportationis: & est ad quadruplum.

Porro, qui sine furandi proposito pecuniam publicam, quam ex Reipub. obuentionibus accepit, penes se retinuit, vel certo Reipub. vsui destinatam, non applicuit, aut in alium vsum, quàm fuerit delegata, expenderit, tenetur *lege Iulia de Residuis*, vt eam pecuniam, & hoc amplius tertiam partẽ eius reddat, vel pro criminis qualitate quadruplo persoluat, etiamsi eam in suos vsus non conuerterit, sed tantùm otiosam detinuerit.

Et quoni-

Et quoniam ciuitatis membra ſinguli ſunt, ſocietaſque ciuilis comparata eſt, vt ſingulos defendat: ideo quoque publicum iudicium eſt contra *Sicarios* & *homicidas*: inter quos atrociſſimum eſt *parricidij* crimen, quando vel aſcendens, deſcendenſvé, vel trãſuerſalis occiditur; quod vltimo ſupplicio, arbitratu iudicis pro grauitate delicti, exſtirpandum eſt. Eademque lege Cornelia, veneficium, vel incendium dolo malo factum morte plectitur; maximè homicidarum ſcelus, qui ſæpè non ritè expiatæ animæ ſimul mortem æternam infligunt.

Sed & matrimoniorũ certa fide, & familiarum diſtinctione cùm Reſpub. contineatur: publicum quoq; crimen committitur, *Adulterio, ſtupro, inceſto, & raptu*, itemq́, *Lenocinio*, *Sodomia*, alijſq́; nefarijs criminibus, quæ igni publico coercentur. Sicut & *Plagiatus*, id eſt ſubtractio vel filiorum à parentibus, vel ſeruorum à dominis, vel vxoris à marito: quod ſi fecerit perſona nobilis pæna Deportationis & publicationis bonorum punienda eſt; ſi vilis ingenua, pœna gladij: ſi ſerua vel libertina, pœna damnationis ad beſtias. Leno autem capite tunc puniendus eſt, cùm vel inuitas, vel fraudulenter perſuaſas mulieres tam fœdo commercio applicat: quòd ſi ſponte ſe offeren-

offerentibus ad istam turpitudinem, ad suum lucrum abutitur, mitius puniendus est. Sicut & stuprator, raptorvé, si persona illustris est, aut consensus fæminæ accesserit. Violator tamẽ thori alterius semper Relegatione apud antiquos Romanos puniebatur, Euangelio verò promulgato, gladij pœnã Constantinus constituit. *l. 20. C. h. t. § item lex Iulia. h. t.* imitatus seueritatem Legis Mosaicæ. *Exod: 10. Deuter: 22. Leuit: 22. & Ezech: 18.* quæ adulterum adulteramq́ue lapidari iubebat. Et hæc de quatuor Institutionum Imperialium libris breuiter dixisse sufficiant.

DEO GRATIA ET GLORIA.





